751

IOANNIS IV=STINIANI CRETENSIS EPISTOLAE

Famíliares.
Scholaſticæ, ſiue Mórales.
Declamatoriæ.

EIVSDEM,
De diuo Nicolao Smyrnæ Pontifice Sermo.

ITEM,
Memorabilis facti Sereniſs. Bohemiæ regis Maximiliani, Commentariolus.

BASILEAE, PER IOANnem Oporinum.

IO. IVSTINIANVS
Io. Oporino typographo Baſilienſi,
amico chariſſ. Suo S.

SI nihil aliud eſſet in cauſa, cur ego te uel ignotum ualde diligerem, Oporine doctiſſime: illud mehercule apud me foret grauiſſimũ, quòd Matthæus Gribaldus, non minus amicitiæ quàm iuris conſultus (nimirũ qui, ut eſt in legum, quas publicè profitetur, facultate facilè præcipuus: ſic in conciliandis colendisq́ bonorum amicitijs diligentiſſimus) is inquam Gribaldus, pro noſtra inter nos mutua, nec uulgari beneuolentia, ita te mihi linguæ ſuæ penicillò expreſſit, ut mihi uidear nihil iam habere poſſe notius, quàm iſtas animi, corporisq́ tui dotes: quæ te omnibus de homine ritè ſtatuentibus ita commendant, ut eundẽ facilè reddant & amandum, & ſuſpi-

ciendum. Et id quidem erat ſatis cauſæ, cur ego te in eorum referrem albũ, quos etiam ignotos, etiam longiſſimè gentium diſsitos mirari, ac ſuſpicere ſoleo. Nunc uerò cum idem priuatim mihi ſignificarit, te nonnihil etiam nobis fauere ob eã Epiſtolam, quam nos per iocum ſub nomine incerti authoris, ad Lazarum Bonamicum, atq; animi gratia, ſcriptam edidimus: ut etiam typis tuis, & prælo ite rum cudendã, atq; apud uos euulgandã exiſtimaris: quin etiam ab eo petijſſe, ut ſi quid aliud nanciſci poſſet nugarum mea rum, ne grauaretur id ad te mittere, tuis typis cohoneſtandũ: dici non poteſt, quàm iſto animo, atq; iudicio tuo, uiri cùm inte gerrimi, tum doctiſſimi, ſim delectatus. Ita prorſum, ut oblitus mei, neq; ſanè reputans quàm parum, immò quàm nihil ſit, quod ego tantulus homuncio præſtare

poſſim:

poſſim: neq; cogitans, quàm excultum, elaboratũq; eſſe oporteret, quicquid ſubiturum eſſet iſtud ueſtrum tot præſtantiſſimorum uirorum examen, atq; iudiciũ: ſed id unum intentè ſpectans, quod tu me as eſſe aliquid putaſſes nugas: uide quid mihi ob id ſumſerim. Cœpi uidelicet cogitare, atq; etiã uelle aliquid ad te mittere. Sed dum meam chartaceam ſupellectilem ſitu & puluere obductam excutio, ac relego, dij boni, quàm mihi diſplicere incipio, quàm uerò aliud ex alio cogitare? Hic multa occurrêre ſimul, quæ mihi animum exaugerent, audaciamque omnem excuterent. Nam (quod ad rationem Epiſtolarum mearum attinet) cum primis iudicia hominum pertimeſcebam: eorum præſertim, qui apud nos neminem legendum exiſtimãt, niſi eum qui tam ſit ſimilis M. Tullio, quàm eſt

lac lacti, aut ouum ouo: quo quidem in genere uidebam fore, ut omnes Ciceronianæ gloriæ candidati, agmine facto in me irruerent, à ſucrum uidelicet conſortio propulſaturi. Nam qui nec Plinijs, nec Politianis, nec Pijs, nec Hermolais, nec Budæis, nec Eraſmis pepercisſent: ut interim taceam Hieronymum, Cyprianum, Petrarcam, Pium, Leonem, Marſilium, reliquosq́ omnes, qui in eo ſcribendi genere claruerunt: quum hos inquam uiderem ab his abiectos, ac deſtitutos in angulis muſsitare, ſitu & puluere opertos in tenebris deliteſcere, quid Epiſtolis meis futurum exiſtimarem? in quibus neque ea ingenij uis, neque ſcribendi elegantia, neque rerum ſcientia, neque quicquam denique aliud ineſſet, niſi id unum, quo equidem ſemper contentus fui: nimirum ut

præ-

præſenti negocio non ineptè, aut ſpurcè inſeruirent. Porrò hæc mecum ſedulò reputans, in eam ueneram ſententiam, ut ſi qua ſcripſiſſem in eo genere, apud me domi continerem: contentus utique eo fine, in quem à me ſcripta eſſent: præſertim cum ex editione nullum eßet nobis futurum commodum, inuidiæ plurimum, ſubſannationum non minimum. Huc accedebat, quòd non deerant apud nos uiri doctrina & eloquentia, addo etiam authoritate præſtantes, qui ſcriptis etiam in funere orationibus laudarent uiros doctos, quòd ij uidelicet nihil ſcripſiſſent: idque tribuerent iudicio cuidam, ac modeſtiæ hominum, de ſe ipſis humiliter demiſſéque ſentientium. Itaque perſiſtebam fixus, hærensq; in incœpto. Sed quò non perpuliſſet Gribaldi authoritas? Is enim,

ut eſt uir cùm ſimplex & rectus, tum uerò perſpicax, & acerrimo iudicio: Quin tu, inquit, Iuſtiniane iſtas delicias iſtorum, uel etiam tuas ipſius miſſas facis? Qui ſi omnium ſuffragia uenaris, eadem opera cœlum pugno concludére planè poſtulas. Quin tu mitte ad Oporinum ea, quæ tibi collibitum fuerit: cui neque iudicium deerit, ut perſpiciat quid uobis opus ſit facto? neque animus, ut id faciat quod utriq; ueſtrûm optimum factu eſſe iudicarit. Hoc ſanè dicto plauſtrum perculit. Itaque dum quæro, quid iſtuc potiſſimum mitterem: eaq; paro, & concinno, quæ ad te perferantur: affertur ad nos atrociſſimus de deceſſu tuo nuncius: nempe cum fuerint, qui iſtinc huc ſcriberent, te illa epidimia, quæ Baſileam anno ſuperiore afflixerat; interceptum, inter mor-

tales eſſe deſijſſe. quo quidem triſtiſſimo nuncio ita uidi commotum Cribaldum, ut ne fratre quidem amantiſſimo de medio ſublato uideretur eſſe potuiſſe commotior. Quæ res non potuit non me quoque eodem ictu percellere: ita ſanè, ut quàm pauciſſimis amicorum tuorũ ceſſerim, qui ex ea re plus traxerint moleſtiæ: idq́ cùm ob eam legem, quæ iubet eſſe amicorum communia omnia: tum uerò, quòd tantam communium, quæ in tuo capite fiebat, ſtudiorum iacturam non poteram non iniquiſſimo ferre animo, tamq́ grauem calamitatem non ſeriò dolere, medullitusq́ ingemiſcere. Hæc eò ſcripſi uerboſius, mi Oporine, ut intelligeres, non leuem eſſe, neque perfunctoriam, qua ego & Gribaldus te proſequimur, beneuolentiam: quam ex opinione uirtutis tuæ conceptam, atque

excitatam, auxit etiam uehementius ea cladis opinio, quam ſuperius commemoraui. Nam etſi quæ nobis quoquo modo chara eſſe debent, iucundiſsimum eſt yſce perpetuo tenore perfrui: tamen, neſcio quo pacto eadem fiunt etiam iucundiora, quum amiſſa, ſeu certè tanquam amiſſa recuperantur, quàm quæ nunquam intermiſſa perpetuò poſsidentur.

Sic incolumitas ualetudine reſtituta, quàm nunquam interpolata, iucundior: ſic patriæ charitas, ab exilio gratior: ſic rerum chariſsimarum poſt iacturam recuperatio ſuauior eſt, ac dulcior. Gratia igitur ſuperis, quòd uel rumor ille de deceſsu tuo, chariſsimi capitis, ac uita longiſsima digniſsimi, falſus fuerit: uel certè, quòd ex eo præſentiſsimo periculo te liberarint: Tum autem CHRISTVM Seruatorem noſtrum precamur,

mur, ut hoc nobis gaudium perpetuum uelit eſſe, Oporine iucundiſſime: quem mediusfidius ſic amo, ut ne ipſi quidem Gribaldo, qui te unicè diligit, in te amando ſim conceſſurus. Nunc eidem ad te damus paucula quædam uobis excudenda, quæ qualia ſint ego neſcio: tu uideris, cuius res agitur. mihi enim iſtinc neque ſeritur quicquam, neq; metitur, præter tuam beneuolentiam. Porrò in his eſt recens Apologia, in epiſtolam ad Lazarum Bonamicum: tum Declamatio ex perſona Neſtoris ad Achillem placandum. Hanc autem declamationem ob id potiſſimum, quòd eſt Lazaro inſcripta, uelim ut Apologiæ ipſi adiungatur: ut Lazari fautores intelligãt, me illi etiam mortuo fauere: neque quicquam aliud egiſſe me in illa Epiſtola, niſi ut eorũ improbitatẽ taxarẽ, qui ex aliorum

rum tenebris lumen quærunt, atq; ex aliena laude carpenda ſibi laudem aucupantur: quiq́; ita uel contemnunt, uel contemnere ſe ſimulant ſcripta hominum ætatis ſuæ, ut ipſi alia prorſum ætate natos ſeſe uelint exiſtimari. Accedit his, de Diuo Nicolao Smyrnæ Pontifice Sermo: quem à noſtratibus typographis, indigniſsimis acceptum ac fœdatũ modis, ſi tuis ipſe typis reſtituendũ atq; expoliendum curaris, dici non poteſt, quàm id mihi gratum futurum ſit. tum ſi Apologiæ ipſi adnexueris eam ad Lazarum epiſtolam, quã ob id ad te miſimus (eſt enim in Declamatorijs poſtrema) non ab re fuerit. Cætera ſunt epiſtolæ diuerſi generis, Familiares, Declamatoriæ, Scholaſticæ, ſiue Morales. Porrò eram & alia miſſurus: uerùm hæc nunc ſatis ſuperq́; uiſa ſunt, cùm ad onerandum Gribaldum,

dum, tum etiam ad explorandum palatum tuum: cuius ſi guſtum minimè offendent, parabimus tibi & alia his nõ multo inſulſiora. Cætera tecum tranſiget Gribaldus, utriuſq; noſtrûm amantiſsimus. Vale uir optime, ac me tuũ eſſe tibi planè perſuade. Pataui, Nonis Iul. 1553.

IOANNES IVSTI-
nianus Eidem.

INter os & offam multum intereſſe, dictũ prõ-
uerbio eſt. Scriptis enim iam, ac tantum non
obſignatis literis, occurrit neſcio quid nouæ co-
gitationis, quæ me ab mittenda iſtuc Apolo-
gia retraheret. Eadem ratione mutauimus quo
que ſententiam, de mittenda Declamatione, ex
perſona Neſtoris ad Achillem: quod argumen-
tum ſi ſatis arridet, aliàs ad te mittetur, acce-
detq; ad ſortem aliquid fœnoris. Interim mitti-
mus Epiſtolarum quaterniones ſeptem: tres u-
tiq; familiarium, duos Suaſoriarum, duos itidẽ
Moralium, ſeu mauis Didaſcalicarum: tum ue
rò & ſermonem, ut dixi, de diuo Nicolao, quem
tuis typis, ſi uidebitur, expoliendum, atq; illu-
ſtrandũ curabis. Accedit his, breuis Commen-
tariolus, de præclaro quodam facinore Maxi-
miliani Bohemiæ Regis, à nobis olim, authore
Gribaldo, exaratus, in lucemq; editus. hunc ſi
libebit, cæteris cum libellis noſtris cudendum uo
les: ſin minus, ea de re grauare te minimè uolu-
mus. Reliquum eſt, quòd Herobus iſtis, qui i-
ſtic anno ſuperiore Gribaldum noſtrum tam
hilariter exceperunt, tam honorificè, tamq; a-
manter tractarunt, quiq; meam illam iocula-

rem

rem uerius, quàm iocoſam epiſtolam, ſua lectione dignati ſunt, nobisq; teſtimonium ſuum perhonorificum præbuerunt, uelim meo nomine gratias agas: operamq; meam, certè animum, ac uoluntatem amantiſſimè polliceare. Vale Oporine doctiſſime, meq; ſi mereor mutuò dilige. Patauij, poſtridie Idus Iulias. 1553.

1

IOANNIS IVSTINIANI Cretenſis Epiſtolæ Familiares.

GEORGIO CARDINALI ARmeniacenſi Ioannes Iuſtinianus S. P. D.

1

VTri ſit mihi potius gratulandum, tibi'ne, qui ſis in patrũ purpuratorũ numerũ cooptatus: an ordini ampliſsimo, in quem es allectus: illud mehercule facit ut dubitem, quòd & ipſa ampliſsimi collegij dignitas ea eſt, ut quemuis ornatiſsimum, atq; illuſtriſsimum, poſſit multo illuſtriorem, ornatioremque reddere: & tu is es, qui ſummæ dignitati magnum ſis decus atque ornamentũ allaturus. Porrò ut ſanctiſsimo Senatui potius gratulandum putem, illud hortatur: quòd ſi is habeat multos tui ſimiles, futurum ſit, ut non ita multorum ſiniſtris rumoribus ſit obnoxius. certè tantum illi accederet ad aliorum exé-

plum authoritatis, ut ea una quaſi regula Chriſtiani homines, & lege quadam, ac ueluti uitæ amuſſi contenti eſſe poſſent. Sed hoc inuidioſum, & à modeſtia tua longè alienũ. Itaque ad illud me conuertam, quod te ſcio æquiore animo eſſe laturum. Nempe tibi ut ſignificem, mirificè lætari me, quòd ea ſis conſecutus uel præmia, uel ornamenta, quæ iampridem uirtuti tuæ meritiſsimò debebantur. quæ licet nec ambieris, nec ambienda unquam putaris: tamen hoc teſtimonio ſummi Pontificis, ac ueluti inſigni quodam, addito ad ea quæ tua ſunt propria, fit, ut ſplẽdor ſanctitatis tuæ clarius eluceat, lumenq́ue à maioribus tibi per manus traditum, minimè per te obſcuratum homines intelligant. Iam, quando id ſolenne ferè eſt tuæ patriæ, ut qui locum iſtum obtinuiſſent, oratoriæq; dignitatis munere apud ſũmos Pontifices egregiè perfuncti eſſent, ij reuerſi in patriam, aucti ſacra infula, cardinalitiaq́; dignitate inſigniti, teſtimonium darent ſanctè ac

ſapienter

ſapienter adminiſtratæ regiæ functionis: cum hoc quoq; ſimus adepti, quid eſt tandem, quod amplius, etiam eorum quæ ſumma cenſentur, optandum putemus? Hic alius quiſpiam amplitudini tuæ gratulatus, tibi nauis iſtius gubernacula facilè ominetur. At ego, non quin & ijs te dignißimum iudicem, & illa talibus gubernatorib. indigere putem: ſed quia maius neſcio quid ſpecto, ac multo etiam ſublimius, illud optarim, ut Deus Opt. Max. qui te ad iſtam dignitatem euexit, ſeruet eam mẽtem, quam indidit, utique puram, & immaculatam, minimumque terrenarum ſordiũ habentem: tũ ut eas tibi ſuppeditet tum occaſiones, tum uires, ut poſsis & in publico Chriſtiani nominis negocio, & in priuatis tuis, tuorumq; rebus ita te gerere, ut neque Deum uſquam offendas, & hominibus ſatisfacias. Vale: Venetijs, Pridie Calendas Ianuarij. M. D. XLIIII.

Georgio Cardinali Armeniacenſi Ioannes Iuſtinianus S. 2

DEdi proxima æſtate ad ampl. tuam literas, quibus tibi commendabam adoleſcentem quendam conterraneũ meum, mihique perneceſſarium: idque non tam mehercule, ut illi commodarem, etſi id cum primis cupiebã, quàm ut apud te aditum ad tuam beneuolentiam aperirẽ ei, ex cuius officijs & probitate mihi perſuadebam magnam te uoluptatem eſſe capturũ: certè magno eum tibi uſui futurum exiſtimabam. Itaque dederam ad te cum ijs literis exẽplaria quædam Græcorum characterũ, ipſius manu exarata: quo planius perſpiceres, cui potiſsimum uſui tibi eſſet futura, illius in familiaritatem tuam ac beneuolentiam admiſsio. Cæterùm ſiue illæ meæ ad te literæ interciderunt, ſiue ijs etiam acceptis tibi reſpondere non libuit, ſiue denique (quod eſt credibilius) à te miſſæ ad nos, itidem ſunt interceptæ: mihi quidem certè nullæ unquam abs te ea de re ſunt redditæ literæ.

761

ræ. quod mediusfidius, nõ tam tuli gra uiter, quàm ſum admiratus: te, qui aliàs tam benignè, tamque amanter literis meis reſpondere conſueuiſſes, ut non contentus amanuenſis tui ad me manu, inſuper etiam tuo ipſius chirographo me ſæpius dignatus eſſes, nunc ne uerbum quidẽ dediſſe ad Iuſtinianum tuũ. Sed omnia æqui, boniq́ue facio: tribuó que ſilẽtium tuum uel magnitudini oc cupationum tuarum, uel fortaſſe etiam ineptijs literarum mearum, quibus te (ut opinor) iamdudum de re non ita graui iterũ obtundo. Itaq; ad te de hoc nihil amplius. Nũc illud eſt mihi maxi mũ, maximeq; neceſſariũ, à benignitate tua nõ modò expetendũ, uerũ etiã expectãdũ: quòd aliàs mihi & præſens ſæ pius obtuliſti, & abſẽs literis, ac ueluti obſignatis tabulis mecũ egiſti: fuiſtiq́; & conſtans mihi, & grauis cum primis author de uobis bene ſperandi. Etenim non te fugit, uir optime (quid enim tibi uel maius dicam, uel uerius?) Scis inquam tu, quid non ſemel collocuti ſi-

mus in cubiculo tuo Venetijs, dum ibidem Oratoris Regij munus fungerere: idq; præſertim, quum de Sebaſtiano regio nunc architecto nobis eſſet ſermo inſtitutus, ob ea opera, quæ ille recens in uulgus ediderat, de architectura: nempe cum diceres, nullum eſſe hodie Principum, qui magis foueret ingenia hominum, plus tribueret optimis ſtudijs, benignius faueret ijs qui quoquo modo aliquid de ſe literarium uel in præſentia præſtarent, uel in futurum pollicerētur, quàm Rex tuus. Cum illo tuo teſtimonio reliquus orbis conſenſus mirè congruebat. His ego uel allectus, uel impulſus, quum tu præſertim meas eſſe aliquid putares nugas, meq; ad id faciendum eſſes adhortatus, perfectis Terentij fabulis, quas nondum abſolutas tibi non diſplicere cognoueram, tuoq; nomini inſcribere deſtinaram: ſum magno ac fidenti animo ſex libros poſteriores Aeneidos Vergilianæ auſpicatus (quando priores à diuerſis authoribus ſingulos cōfectos eſſe conſtabat.) edidiq; in lucē librum

librum octauũ,Regi tuo inſcriptum, eo animo atq; cõſilio,ut ſi illum tanti Principis iudicio probari intellexiſſem, pari animo reliquum opus in illius gratiam abſoluerem. Cæterùm quando eiuſmodi tẽpora inſecuta ſunt,ut nihil ei minus quàm de Muſis cogitandum eſſe homines exiſtimarent: nos aliò uelificationem ita uertendam habuimus, ut ne librum quidem illum (tametſi multis ac magnis ingenijs minimè improbatũ)Regi unquam mittendum curarim. Quin poſtea poetica omnia,& ludicra ita miſſa fecimus,ut pigeret nos laborum tantorum, ac uigiliarum fruſtra ſuſceptarum. Verùm enimuerò cum & me teneat cum multis inſanabile ſcribendi cacoethes,ut non poſsim mihi temperare quin aliquid ſcribam,commenter,mediter:dedi operam,ut quidpiam eiuſmodi efficerem,quod non tam delectationem (etſi hanc quoq;)quàm utilitatem,eamque non mediocrem haberet.Duo itaq; opera diuerſis temporib.ſum aggreſſus, è Latino in Etruſcũ ſermonem uertẽda.

Alterum, de Veritate fidei Chriſtianæ Ioannis Ludouici Viuis Valentini: quẽ uirum & uiuum dilexi, & uita functum etiam ueneror. Hunc authorem, quoniam ſereniſsimæ Reginæ Cantabriæ nõ mediocriter probari intelligebam, ut quem etiam uiuentem ob ſingularẽ uel probitatem, uel eruditionem, uel facundam prudentiã ab ea magno in precio habitum audiebam, ipſius maieſtati dicandum ab initio deſtinaram: quod equidem & faciam, ubi Opus abſoluero: eſt enim bona iam, ac magna ex parte mihi deformatum: id quod etiam cũ clariſsimo uiro Ioanne Moluco oratore ueſtro, paulo antè quàm is Venetijs diſcederet, communicaram. Alterum Regi ipſi ueſtro habeo dicandum, utiq; Suetonium Tranquillũ: ſcis quem authorem. Hunc porrò cum aliquot abhinc annis uertendum ſuſcepiſſem, tũ autem difficultate operis territus ſubſtitiſſem, atque impeditus negocijs, pręſertim ſcholaſticis, non potuiſſem huic negocio iugem ac perpetuam operam præſtare:

præſtare:ſed neque eam adhibere diligentiã perſcrutandæ antiquitatis, eáq; inueſtigandi, quæ ad intelligentiã eius authoris uidebantur neceſſaria: tandẽ proxima æſtate nactus maiorem ſolito opportunitatem, atque ab ea re ſcholaſtica ocium, ac ſolitudinem quantã antea nunquam, opus dijs bene iuuantibus abſoluimus. Quod quantæ operæ fuerit, quanti porrò laboris, ac difficultatis, lucem inferre tenebris, atque illi obſcuritati, cui author ille plurimùm eſt obnoxius, cùm ob mutationem rerum illorum temporum, ac totius uitæ, tum ob petitam ſibi ex profeſſo breuitatẽ: iudicent ij, quibus diligentius uerſare Suetoniũ contigit. Quàm aũt commodè nos in eo uertendo uerſati fuerimus, eorum eſto iudicium, in quorum manus uigiliæ noſtræ aliquando ſunt peruenturæ. Porrò Suetonius quàm ſit dignus quem Principes admirẽtur, ac nunquam ferè de manibus deponãt, ſciunt omnes, quibus non irata Pallade naſci contigit. quàm pauci uerò ad eũ,

reſpiciant, cùm ob ipſius obſcuram breuitatem, tum prolixas ac nunquam finiendas interpretum ambages, atque inexhauſta diſpẽdia: norunt etiam mediocriter eruditi. Sed nos in præſentia neque de hiſtoria, neque de Suetonio, neque de noſtra uertendi ratione quicquam dicemus: etenim ſi qua huiuſcemodi uidebuntur dicenda, ea reſeruabimus in epiſtolã, quam Hetruſco ſermone conſcriptam Suetonio ipſi præfigemus. Nunc illud uelim te non ignorare, mihi eſſe in animo fixum & locatum, opus ipſum haudquaquam typis excudendum dare: ſed manu diligenter deſcriptum, Regi tuo exhibere. Quod quidem eo potiſsimum faciã conſilio: tum, ne opus principale uulgatum ac proſtans uileſcat: tum quòd uitæ ac geſta Principum, Principes decent, nõ uulgus. Quod ſi mihi nunc eſſet deſcriptus, miſiſſem eum ad te per Valerios fratres. Sed cum id in præſentia minimè nobis facere licuerit, primo quoq; tempore ad ampl. tuam mittam,
ut

764

ut eum uidelicet Regi eminentiſsimo exhibendum cures meo nomine: teſtimonioq; tuo,& authoritate cohoneſtãdum. Erit autem, ni fallor, hinc ad natalem Chriſtianũ deſcriptus. Huic ſuccẽdet opus de Veritate Chriſtiana, nulli (meo ſanè iudicio) Chriſtiano homini contemnendum: amplectendum uerò etiã omnibus, præcipueq; ipſi Reginæ fouendum, atque ornandũ: quæ, ut conſtans eſt fama, ita CHRISTVM halat ac ſpirat, ut credam ipſius pietati nihil accidere poſſe, hoc tempore, uel gratius, uel iucũdius. Iam uerò ſi hæc ipſe, uti ſpero, approbabis: quatuor Terẽtij comœdię, quę nondum publicum ſunt ſortitæ, nominique tuo iampridem debentur, ad te ibunt, omnino uel manu quoq; deſcriptę: uel, ſi tu ita uoles, etiã cum primoribus excudentur. Sed hoc totum erit & cõſilij, & arbitrij tui. Hęc ſunt, quæ, mihi uiſa in rem meam fore, ad ampl. tuam ſcribenda eſſe duxi. Nũc, quod initio huius epiſtolę præfatus ſum, illa mihi habeo à bonitate tua

non expetenda modò, uerùm etiam expectanda. Primùm, mihi ut conſilium des, an hoc tempore opus ipſum Regi mittendum curem, an uerò aliud commodius habeam expectandum: tametſi trahi uideo inexplicabilem negociorũ catenam. Deinde, ſi nunc opportunum uidebitur, præcipias proximis tuis ad me literis, in cuius manus uel Ferrariæ, uel Venetijs, uelis me dare Suetoniũ, quo tutius, expeditiusque ad uos perferatur. Sin differendum putabis: poteris, ubi commodum prudentiæ tuæ uiſum fuerit, è Gallia mihi reſcribere, quid facto opus eſſe cenſueris. Expectabimus literas tuas, uel uſque in quadrageſimam. Sin, quod nolim, tibi uidebitur, alia mihi eſſe quærenda rebus meis præſidia: quæram, ſed mehercule cum pudore. Nam cùm authoritate ac beneuolentia tua fretus, tum ijs literis allectus, quas uel ad me ipſum, uel de me ad Reginam Cantabriæ olim dederas, auſus ſim ea ſperare, atque adeò mihi apud omnes polliceri, de ueſtra beneficentia,

centia, quæ & uos deceant, & meo in uos ſtudio, fidei, obſeruantiæque debeantur: abſurdum fuerit, atque uel à bonitate ueſtra, uel à fide mea longè alienum, me nunc ad aliena præſidia, hac potiſsimum ætate, imbecillitate, fortuna confugere. Tum autem pluris faciã teſtimonium Regis de me tui, quàm omnium Principum uel ſtudia, uel etiam beneficia. Id unius tui ſtudio me aſſequi poſſe, planè confido. Vale. Pataui, 10. Calend. Nouembres. M. D. X L V.

Georgius Cardinalis Armeniacenſis Iuſtiniano S. 3

EX literarum tuarum lectione, quas ad me Ferrariam miſiſti, plus'ne uoluptatis cœperim, an moleſtiæ, non facile iudicarim. Dum enim intelligo, & quàm belle ualeas, & quàm firmiter in amicitiæ noſtræ curſu perſeueres, non poſſum nõ mihi uehementer gaudere, cui tã auſpicatò cõtigerit, uiro bono & erudito amiciſsimũ fieri. At dũ literarum tuarum initio, uerecũdè (ut omnia ſoles) ſpretæ amicitiæ reum me arguere

re uideris, quòd ad priores (ut putas) non reſponderim: quibus, mei admodũ ſtudioſus, adiunxeras Græcorum characterum perpolita exemplaria: cõmendaras item ſedulò & officioſè iuuenis illius ingenium & induſtriam, qui ea deformarat: non poſſum non grauiter ferre, interceptas illas fuiſſe, quas religioſè tibi affirmo miſſas à me tunc temporis fuiſſe Venetias, ad Moleucum oratorem ornatiſsimũ, ut tutò prima quaque die tibi redderentur. Ego enim, ſi neſcis, mi Iuſtiniane, ſollicitus fui ſemper, in medijs etiam negociorum fluctibus, ut ne inmemor eſſem amicorũ: eorum præſertim, qui ſuis me literis dignum iudicarent. Eo ſanè ſum ingenio, ut in ſuſpicionem neglectę amicitiæ alicui uenire admodũ reformidem, ut etiam in cõtrariam reprehenſionẽ longè malim incurrere. Nec quẽquã puto eſſe, qui de me, hac maximè in parte, poſſit iuſtè cõqueri. Quod ſi quando fit (ut fieri ſæpe magno animi mei dolore experior) ut uel meę literę intercipiãtur,
uel

rdius quàm cuperem perferâtur:
on, quæ amicorum gratia tenta-
ſuccedant omnia: id uel negligen
orũ, q̃bus literas damus, uel im-
itati, uel cuicunq; demũ cauſę ma
adſcribât, quàm mihi. Etenim cum
nunquã ſoleam amicitiam faſtidi-
quæ honeſta aliqua ratione concilia
tum ego eam complector, ueneror,
antum non ſuperſtitioſè colo, quam
hi cum tui ſimilibus, id eſt doctis &
obis uiris, ſtudia literarum, morumq;
tegritas (quæ duo ſunt amicitiæ lon-
è arctiſsima uincula) pariunt, augent,
ruantque conſtantiſsimè. Caue mi Iu
iniane, tam ſiniſtram de me concipias
pinionem. Tuum me eſſe, teque, &
uæ à te proficiſcuntur, eſſe omnia gra
iſsima mihi, & chariſsima (ut digna
ſunt) uolo ut exiſtimes: Quod re ipſa
experieris, ubi operam, gratiam, rém-
que tibi noſtram uſui eſſe cognouero.
Alius enim non ſum ab eo, qui eram,
cum dulciſsima tua conſuetudine, col-
loquioque gratiſsimo Venetijs agens
fruerer:

fruerer: ubi ſæpe, quanta cum animi uoluptate, dicere non poſſum, te de literis differētem audiebam. Ad quas mea cohortatione adiuuandas, & illuſtrandas, accenſum eſſe te mirificè lætor. Et quia mihi egregiè ſemper charæ fuerunt, eruntq́ue dum uiuam: non deſinam te, ſponte licet currentem, uelut ſubiecto calcari, ut curras alacrius, incitare: ut in eas incumbas, quæ & ornamento, & uſui non paruo tibi erunt, cùm apud omnes homines, tū maximè apud uiros Principes, qui earum ſtudio tenentur: inter quos, ut ſæpe de me audiuiſti, primum locum iure ſuo ſibi uendicat Rex meus: apud quem mea commendatio, fauor, & ſtudium, nunquam ulla in parte tibi deerunt: & (ut ſum pollicitus) faciā, ut tu nihil in me deſideres, quod à ſincero, minimeq́ue fucato amico expectari debeat. De tuis ego ſcriptis quid iudicem, corām aliquando, citra fucum, liberè & ex animo tibi aperui: qui ea ſanè digniſsima iudico, quæ in hominum non plebeiorum, ſed uirorū ſummo-

ſummorum manus perueniant, quibus confido fore gratiſsima. Et quanquam non poterit Regi meo tua Aeneis, Sue toniusque nõ eſſe accepriſsimus, & cõ mendãtiſsimus: ſi tamen meum ſequẽris iudicium, in aliquot dies dicationẽ ſuſtinebis, interim dum tumultus hic bellicus componatur inter infenſiſsimos Principes. Ego interea ueri amici functus officiũ, cauſam tuam agam fideliſsimè: & ubi mihi uidebitur tempeſtiuum, diligenter per literas ſignificabo, quid faciendum cenſeam. Is eſt Regis noſtri erga literarum ſtudia fauor, bona ille ingenia ſic amplectitur, ut, licet magnis diſtringatur Reipub. & bellorum curis, augere tamen ea, & ornare non deſiſtat. Sed quia in tanto armorũ ſtrepitu, uix exaudire dulcem illum Camœnarum concentum datur: alia temporis expectanda occaſio eſt, illi præſertim, qui nunc primùm in ipſius gratiam inſinuari cupiat. Nam cum egregiè chara illi ſint, & hæc quæ colis ſtudia, & Reipub. Gallicæ ſtatus, qui illius

humeris alioqui ruiturus incũbit: huic potiorem quàm illis curam ideo impẽdendam exiſtimat, quòd quæ ad Reip. tuitionem faciunt, communem omniũ utilitatem ſpectant, cui naturæ lege, & imperij ratione natum ſe meminit: illa ad ſuam unius honeſtam uoluptatem pertinẽt, & bono Principe dignißimã. Cæterùm quòd mihi Terentij comœdias iampridem, ut ſcio, deſtinaſti, habeo gratiam quàm poſſum maximã. Id ego nullo à te promereri officio potui, aut beneficio. Ingenij enim munera æſtimari nulla re bene poſſunt. Verùm efficiam, ut amico, & memori dicaſſe non pœniteat. Quod de abducendis mecum in Galliam fratribus Valerijs con filij cœperam, ratione temporis cogor reuocare. In eo enim res Gallicæ ſunt ſtatu, ut pręter expeditionem, claßicũ, conflictũ, nihil ferè quicquam uacet cõſultare, aut facere: & à magnis curis auocare bonum Principem, hoc Reipu. tempore, præterquam quòd parũ pium uideri poßit, erit & Principi moleſta

inter-

468
interpellatio, qui de Repub. ſeriò cogitat, & conſultat. Reip. enim Principis operam impendi oportet totã. Hęc à me non eò dicuntur, quòd fauorem illis, quem ſum pollicitus, præſtare non ſit in animo: ſed magis, quòd cupiam fructum illos ſentire meæ beneuolentiæ. Ac ut tibi in re tua faciendum putaui, id ipſe in ijſce apud Regem meum commendandis faciam, ut differam omnia in commodius, & aliquod tranquillum magis tempus. Occaſionem enim, quantumuis alacriter curras, ne que fugientem unquam, neque oblatam ſemel, ſi effluere ſiueris, potes adſequi: ſed expectari uult, dum ſe offeret. Admonui illos (ut uolebas) ſui officij: operam, ſtudium, gratiam illis omnem pollicitus, ſi ſe ijs non præſtarent indignos. Quod ſi facient, me animo uerè paterno experientur. Tu interim perges, illos in bonarum literarum ſtudijs inſtituere. Tibi, credo, erunt, quàm prius, obſequentes magis. Meam enim uanã non puto futurã

c 2 moni-

monitionem:quam ſic,tuo conſilio,tẽperaui,ut illis & fiduciam nimiam ademerim,ſi negligerent bonas artes, morumque integritatem: & ſpem certam fecerim illis,nihil me omiſſurũ (ſi ij fuerint,qui eſſe debẽt)quod putem ad eorum utilitatem & ornamentum pertinere. De adoleſcente illo conterraneo tuo,qui tam ſcitè Græcas literas pingere nouit,curabo, ne tuam commendationem apud me nullum locum habuiſſe poſsis dicere.Sed id fiet, cum erit cõmodum. Tanta enim hoc tempore negociorum multitudine obruor, & priuatorum,& publicorum, ut operam amicis nunc dare non uacet. Ac, ut tibi cãdidè quod ſentio loquar, uereor ne, ubi in Galliam noſtram appulerim,aliò ſit mihi remigrandum ex Principis mei imperio:cui etiam obitæ à me per quinquennium legationis apud Pontificem maximum, ratio reddẽda eſt. Alia item curanda,quæ niſi & magno tempore,& diligentia non parua poſſunt explicari. Nihil excidet animo eorum, quæ tibi,

161

& adoleſcenti illi tua gratia recepi. Iube interim illum bene ſperare, ne induſtriam remittat, animum'ue deſpondeat. Habes Iuſtiniane doctiſsime, longiorem quàm credebam epiſtolam, teſtē meæ erga te beneuolentiæ: quæ nō prius, quàm cum uita, finem eſt acceptura. IESVS CHRISTVS te mihi amicum, & incolumem diutiſsimè ſeruet. Ferrariæ, Idibus Nouemb. 1545.

Tuus ex animo, ueluti frater,
Georg. Card. Armeniac.

Ioan. Iuſtinianus Georgio Cardinali Armeniacenſi S. 4

NIſi Franciſcum Iuſtinianum uel dignitas perſonę, quam ſuſtinet, oratoris Veneti apud Regem tuum: uel ſua ipſius, ac patris Antonij præſtantiſsimi uiri, merita maiorem omnino eſſe oſtēderent, quàm uel mea, uel cuiuſquam commendatione indigeret: equidem ipſe, pro mea in eum obſeruantia, ipſius item in me beneuolentia, his literis, quibuſcunque uerbis poſſem, id facerem, ut eum tibi etiam atque etiam diligen-

tiſsimè commendarem. Nunc autem quòd ad te ſcribimus, non id ago, ut illi quicquam apud uos uel beneuolentiæ captem, uel fauoris conciliem: neque enim ſum neſcius, quam id abſurdum, aut etiam uanum eſſetis iudicaturi: ſed ut ipſe intelligas, me illi ſic omnibus neceſsitudinis uinculis eſſe coniunctum, ut uelim in eo me Ampl. tuę, resque meas omnes omnib. modis eſſe cõmendatiſsimas. Neq; uerò tã ipſius cauſa (qua quidem omnia cupio) uelim eum eſſe tibi chariſsimum, quàm mea. Siquidem is onus ſuſcepit, quòd & tu aliàs ſuſcepturum te pollicitus es, conficiendi mihi apud Regem clementiſsimum. Equidem nihil eſt, quòd non ipſe ſpondeam afflictis his rebus, ſi uos ambo in eam rem incubueritis: quod ut nunquam de tua uoluntate dubitaui, ita neque de ipſius dubitandum puto. Oſtendimus ei literas, quas & pridem ab Vrbe, & nuper cum in Galliam redires, ad me Ferraria dediſti: quibus ille excitatus in eam,
non

non uoluntatem modò (nam id illi pe
uliare, ac gentilitium) ſed in eam
pem uenit, ut credat ſeſe mihi omnia
x ſententia confecturum. Quid au-
em non ſit ſperandum te patrono, au-
pice, moderatore rerum, ac fortu-
arum mearum? Nunc partes tuæ
uerint, mi Patrone, ut in me tuendo,
ugendo, ornando, ea mihi præſtes,
quæ ſæpius nobis cùm benignè, tum
tiam amãtiſsimè recepiſti: quod me-
ercule nihil dubito. Atque utinam
um has literas accipies, ſis apud Re-
em: ut Iuſtinianus meus, & eſſe mul
um, & agere tecum poſsit de rebus
oſtris: de quibus propterea nihil ad
e ſcribo, quòd uereor ne abſis ab aula
egia. quod quàm nollem, dici non po
eſt. Vbi intellexero non abeſſe, perſcri
am ad Ampl. tuã de rebus omnibus di
gentiſsimè. Interea ſcito me in ea uo-
ũtate cõſtantiſsimè perſiſtere, quã prę
ne tuli, ex eo die, quo primùm te cole-
e atque amare cœpi: tibiq; uigiliolas
neas inſcribere inſtitui, quæ nomen

tuum alioqui ſplendidiſsimum, non dicam illuſtrarunt, ſed certè circumtulerunt, ſumma cum teſtificatione meæ in te pietatis, ſtudij, beneuolentiæ: quám & à me tibi perpetuò præſtitam, & abs te non neglig ẽter habitam cũm cupio: tũ uerò etiã ſpero fore, ut omnes cùm præſentes ſciant, tum uerò poſteri etiã intelligant. Vale, Patauij. 7. Idus Decembris. M.D.XLVI.

Illuſtriß. ac Reuerendiß. Domino Georgio Armeniaco, Epiſcopo Rodenſi, pro Rege Chriſtianiß. apud Summum Pont. oratori, Ioan. Iuſtinianus Cretenſis S. P. D. 5

ETſi ſtudium in me tuum antea non ignorabam, tamẽ id plenius nudiuſtertius cognoui ex ijs literis, quas tu de me pridem amantiſsimè ſcriptas, ad Reginam Cantabriæ dederas. Etenim quũ eas ipſas literas nondum, ob iuſta quædam impedimenta, ad eam miſiſſem: uideretur autem ſerum nunc demum mittere (uide quid mihi ſumpſerim de humani-

atis tuæ opinione fiduciæ) reſi-
ſcilicet, legiq́ue eas ipſas literas:
e id quidem tam feci, ut uiderem
de me ſcripſiſſes ipſe, quem ſciebā
i amantem, & animi mirè Chriſtiā
iàm ut ne fructus ille, quem mihi
na caſusq́ue ademerant, mihi o-
o periret, ſi literis ipſis legendis
nuiſſem. Itaque ubi mihi ignoueris
ſignatione literarum (quod ut æ-
nimo facias, te ſupplex oro) ſcias
n, me tātum tibi debere ob ea quæ
e ſcripſiſti, quantum ſi omnia, pro-
quę illa ſcribebātur, obtinuiſſem.
; uerò me tā delectat teſtimonium
i uiri, quàm ipſa tua de me opinio,
etiam iudicium. neque enim addu-
oſſum ut credam, te aliud ſentire, a-
l ſcribere: ad eam pręſertim Reginā,
ę & propter ſummam probitatē, ſum
mq́; ſapientiam omnibus ſit admira
is, & tibi etiam peculiari quadā tua
eam obſeruantia & cultu ſit ſacro-
cta. Quamobrem uehementer gau-
o, quòd eum eſſe me iudices, quem

prædicas:quo iudicio tuo fretus, mihi non deero, quin aliquando utar teſtimonio & fauore Celſitudinis tuę in his quæ cùm ad me pertinere, tum commodo tuo fieri poſſe arbitrabor. Intereà illud ſcito, me, tametſi fructu iucundiſsimæ conſuetudinis tuæ iampridem priuatus ſum, longoque abs te locorũ interuallo diſtractus: nihilo tamen ſeciustui memoriam aſsiduè in animo ac pectore meo ſumma cum obſeruantia circumferre: téque perinde colere atque amare, ac ſi præſens præſentis in hunc uſque diem hoſpitio tuo uſus fuiſſem. Cætera de meo in te animo, ſtudio, cultu, obſeruantia, audies ex P. Paulo Vergerio, Iuſtinopolitano epiſcopo: qui tibi has literas reddidit, quique te in primis colit & obſeruat. Vale, Patrone iucũdiſsime: & Iuſtinianum tuum, quod facis, ama. Venetijs, Idibus Aprilis. M.D.XLII.

Georgio Cardinali Armeniacenſi Io. Iuſtinianus S. 6

SCripſeram ad Ampl. tuam paucis antè

772

ous epiſtolam bene longam, e-
, ut quidem mihi uidebatur, ad
d agebam, ſatis efficacem, ut qui
n in illa meam (ſi qua tamen in
) ſcribendi dinoſim atque ener-
adhibuiſſem: idque feceram, tibi
enderem, quo in ſtatu res meæ de
eſſent: denique à te ut peterem,
ai periclitanti propitius opem fer
erùm cum altius mecum poſtea re
ſem, & meam in te fidem ac pieta-
& tuam cùm in omnes benignita-
tum in me etiam beneuolentiam,
tumq; animi propè ſingularé cõſi-
uiſſem: me ipſum, meamq; diligen
eprehendi, qui ambitioſius abs te
uid petés, uiderer de tua bonitate,
anitate, liberalitate diffidere. Itaq;
i paucis, ac ſimpliciter, ut ſoleo, te
gere, ne plus in uerbis & oratione,
m uel mea in te fide atq; obſeruan-
, uel in tua erga me beneuolentia,
lijs, humanitate uidear poſuiſſe. Sci
gitur, mi Mecœnas, me ob eã ſpem,
am ex literis tuis ad Principes tuas
de me

de me ſcriptis, concœperam, pręſertim quum minimè crederem, fore ut libri mei tamdiu apud uos deſiderent, neq; in Galliam perferrentur, tãtum ęris alieni contraxiſſe, idque die ſolutioni præſtituto ad Reſurrectionẽ Dominicã: ut, niſi ad eam diẽ ſint mihi ad manũ decem minæ, periculũ ſit ne in aliquod diſcrimen, quod pudeat dicere, incidat Iuſtinianus tuus. Quod tam uerum eſt, ut nihil ſit uerius. Quod ſi credideris, nõ dubito fore, quin me quamprimùm, quę tua eſt bonitas, ſubleues: ſin minus, magno cum meo malo intelliges, id eſſe ueriſsimum. Sed iam iterum diffidere uideor, qui hæc tibi. Nimirum id nõ eſt ex animi mei uitio, ſed iniquitate huiuſce fortunæ meæ: quæ me pertinaciter premens, atque urgens, facit ut etiã quæ tutiſsima ſunt pertimeſcam. Illud neſcio an dicendum ſit: dicam tamen. Porrò ſi (quod ſperamus) uſuuenerit, ut aliquod aſtrum fœlicius nobis è Gallijs affulſerit, ac Principes tuę, acceptis, te auſpice atque interprete, libris meis

(quos

773
n id, ut ad eas rectius mitteren-
Ampl. tuam miſi) ſi principes il-
iam ſua in nos liberalitate uſæ
, poteris inde tibi decidere tan-
n argenti, quantum mihi tua be-
is commodarit: neq; propterea
mpl. tuæ minus debiturus, quàm
lecuplo tanto cohoneſtaſſes. Sin
quod uix credibile eſt) nihil ad
u tamen fidem tuam eo nomine li
is, qui ad me tua etiam manu ſcri-
, etiamſi Principes tui mihi defo-
te minimè defuturum. Sed iam ut
taque finem faciam, ſi illud unum
dero. Népe, ſi me hoc ſummo tuo
ficio affeceris, Ampl. tuam ex iſta
n me benignitate magnum eſſe fru
n, perpetuamque uoluptatem per-
turam. Nihil enim tam gratũ, quàm
d in minimè ingratum beneficium
fertur. Vale, ampliſsime Domine: &
linianum tuum, quem tuo teſtimo-
ſemper ornaſti, nũc etiã reipſa tue-
ac ſerua. Iterum, ac millies Vale. Pa-
iij, 12. Calend. Aprileis. M. D. L.
Georgio

Georgio Cardinali Armeniacenſi Io. Iuſtinianus S. 7

TAntum abeſt ut uerear, ne me aut importunum, aut nimis ſedulum interpellatorem exiſtimes: ut etiam dubitem, ne nimium negligentem, aut etiam ſegnem ſis, ac ſocordem exiſtimaturus. à quo quum habeam tot egregia teſtimonia tuæ in me beneuolentiæ, tot literas amantiſsimè ſcriptas: ego ſic in officio ceſſauerim, ut ex quò in Galliam redijſti, aut nullas, aut certè quàm paucisſimas ad te literas dederim, teſtes perpetuæ meæ in te obſeruantiæ, ſeu uerius pietatis. Non id accidit, mi Mecœnas, ullo meo uicio, ſed fato potius quodam meo: cui ego tam difficillimè poſſum occurrere, quàm ab ſum longiſsimẽ ab eo ſapiente, qui nouerit aſtris, ut ait ſummus Poeta, domi nari. Etenim quum literæ, quas ad me anno ſuperiore Ferraria dederas, diu ſuſpenſum tenuiſſent (pollicebantur enim, te, ubi in Galliã reuertiſſes, ad me de ijs omnibus, quę ad me pertinerent,

diligen-

iſsimè perſcripturum) equidē
ſū, ne ſi ſubinde te literis meis
larem, tibi eſſem moleſtior. Ita
aùm diu tacui, expectans uide-
d maturū, quod ipſe mihi ex-
um ſignificaras. Deinde quum
imis longum uideretur, atque
phij mihi in mentem ueniſſet,
ima nomina mala fieri, niſi ſub-
pelles: facere non potui, quin
mo uiro Franciſco Iuſtiniano
Veneto, ad uos proficiſcenti,
pl. tuam aliquid literarum da-
aæ uidelicet noſtri tibi memo-
enouarent. Porrò quum ne ſic
n hilum profeciſſem, ut qui nec
unquam, nec ab ipſo Iuſtiniano
uicquam: haud facile dictu eſt,
mihi cœperim diſplicere, fatūq;
incuſare, ſeu potius credulita-
eam damnàre, qui ſic alijs crede
ſſe cordi fidem & ſedulitatem in
neam, quàm eſſet mihi in animo
n cultus & obſeruantia. Hìc mecū
tacitus, præcipueque de conſue-
tudi-

tudine optimatum erga literatos ac bonos uiros, muſsitabam: dare illos pro uerbis uerba, pro laudibus laudes ingerere: præſentes aut amare, aut egregiè ſimulare: abſentes, ne meminiſſe quidé: ac uel admonitos ægrè, uel non admonitos, nihil recordari: multaque id genus alia. quæ licet in opt. animum tuũ, egregiamque naturã non cadere, planè intelligebam: tamen quum ea paſsim hac tempeſtate fieri uiderem, non poteram mecum communem literatorum hominum calamitatem non deplorare. Dumq; totus in hoc ſum, audio neſcio quid ſiniſtri rumoris de aduerſa tua ualetudine: mox etiã non defuerunt, qui Roma huc ſcriberent, te deſijſſe agere inter mortales: quę res ſic perculit animum meum, ſic me atrociſsimo nuncio proſtrauit, ac deiecit, ut malè affectus in multos dies coactus ſim grauiter decumbere: denique illi cladi omnem calamitatem meam imputaui. quos enim iam Deos mihi amplius propitios eſſe crederem, adempto mihi te, in quo omnes

mnes meas ſpes, omnia præſidia fixa ha berem, & locata? Excepit hunc meum mœrorē mox alius, haud ſanè ſuauior *nuncius*, nempe de obitu Franciſci Regis: qui me ſic afflixit, ut neſciā an quic quam tulerim in uita grauius. Etenim ſic cogitabam: Ergo tot incaſſum labores hauſerim, tot uigilias fruſtra per tulerim, tot erūnas temerè exantlarim, ut una dies omnia mihi interciperet? ô uere *fallacem* hominum ſpem, fragilēq; fortunam. Quid quæris? In hoc mœro *re penè* tabueram. Ecce autem tibi, nudiuſquintusdecimus Patauij congreſſus cum Franciſco Beltrando Hiſpano. Dum apud illum deploro uicem meam, fortunamque grauiter incuſo, quæ te mihi tam importunè abſtuliſſet: Quid te afflictas (inquit) Iuſtiniane? Quin potius gaudes, illique gratularis? ualet enim, atq; uiuit. Quid ais? inquam, Car *dinalis* meus? Sic eſt. Viuit? Certè. Car dinalis meus uiuit? Quin etiā eſt auctꝰ, inquit, magnis opibus: & apud nouum nūc Regem eo loci habitus, quē ipſius

uirtus,egregiaq́; merita poſtulant. Hic ego mehercule facere non potui, quin gaudio exilirē,geſtirē,omni genere hilaritatis lætitiam declararē meam: ſtatimq́; ſuccurrit mihi,ut ad Ampl.tuam ſcriberem,atq; hos animi mei motus tibi teſtarer,quà poſſem. Verùm ne id inanibus tantum literis facerē, præſertim cum meminiſſem quid iampridē tibi à me deberetur: eſſe autē iamdudū maturū ut id exoluerem:ſcripſi ad Manutiū, eſſe mihi in animo quędā excudere: petere autē ab eo me, ut is illa ſuis typis ſumeret exornāda. Atq; hic egi cū illo etiam ambitioſius: illud teſtatus, nolle me quicquam ab eo præter hoc ipſum, ut opera mea ipſius Delphino inſignirētur. Ille autē quid mihi reſponderit, ex ipſius ad me literis, quas his adnexui,facile intelliges. Nunc id uelim à benignitate tua,mi Patrone, ut,quādo iampridem uulgatū eſt, Terentiū meū Ampl. tuæ totum deberi: cupiam autē illū quàm ornatiſsimum,atq; ut te,meque dignū eſt, in lucem prodire(quam rem

rẽ nemo melius Manutio, apud Italos præſertim, poteſt præſtare) propterea inquam uelim, ut ad eum ſcribas, ut in gratiam tuam patiatur hanc curã apud ſe excubare, ut Terentius meus olim tibi dicatus, iam tandẽ in lucem exeat, ipſius teſtimonio, typisq́; cõmendatus. Hoc ſi fecerit, tibi futurum gratiſsimũ: quãdo & id ipſe cum primis ambio, & id etiam ad operis tibi dicati dignitatẽ multum uidetur pertinere. Porrò ſi & tu ex animo id feceris, & ille (quod credibile eſt) opus conficiendum ſuſceperit, habebunt homines tuis auſpicijs Terentij comœdias Hetruſco & ſermone & uerſu conſcriptas, idq́; non ſine ampliſsimi nominis tui commendatione. Ego autem id aſſequar, ut cùm dignitatis tuæ, conſtantiæq́; meæ rationem habuiſſe uidear: tum ut perpetuo beneuolentiæ tuæ teſtimonio probatus etiam exiſtimer. Vale.

Io. *Iuſtinia.* Paulo Manutio S. 8

ETſi tritum prouerbio eſt, ultroneas merces putere: eſtque planè homi-

nis parũ pudẽtis, id petere, quod cùm denegari honeſtè poſsit,tum non obtineri ſit putidum, optaſſe etiam inuerecundum: tamen uel uirtus tua me, uel amicitia noſtra hortata eſt, ut à te audacter peterẽ, ac familiariter, id quod me obtinere, mea multum, te dare,tua aut nihil, aut certè non ita multum intereſſe,imò uerò & te id dare,tua nõ nihil etiam referre ſum arbitratus. Quid iſtud?inquies. Noſti, mi Paule, uel pro tua ſingulari doctrina,uel pro uſu rerũ, atque prudentia, qui ſit ſenſus hominum,non doctiſsimorum modò, atque eloquentium, uerùm etiam leuiter eruditorum, ac propè dixerim infantium. ſcribit enim unuſquiſque, quod maximè collibitum eſt animo: & quodcunque ſemel chartis illeuerit, omnes geſtiet à furno redeuntes ſcire, lacuque, & pueros, & anus. Quod ſi unquam aliàs hæc libido inceſsit, atque hic ſcribendi cacoethes terris incubuit: nunc profectò eſt tempus illud, cum maximè dicere liceat,

Scri-

Scribimus indocti doctiq; poemata paßim.

Porrò facit hos animos, ſuggeritq́; hanc ſcribendi pruriginem, non copia modò, ac facilitas, uerùm etiam ſitis atque auaritia typographorũ: quibus eſt lucri bonus odor è re qualibet. A` qua quidem labe abfuit ſemper quàm longiſsimè Manutiorum officina. Etenim cùm uir clariſsimus, pater tuus, id ſemper egit, ut ex ipſius taberna libraria nihil prodiret non ingenio perfectum, nó induſtria elaboratum: tum uos fratres, tuque in primis hac tẽpeſtate, ſummis uiribus atque opere id agitis, ut ueſtra typographia nihil ſit mũdius, nihil terſius, nihil limatius: nihil porrò nitidius, purgatius, emaculatius: nihil denique elegantius, abſolutius, perfectius. Nam quum tu ueſtigia patris, ſummi ac præſtantiſsimi uiri, egregiè ſecutus, id ſeduò pręſtes, ut omnia ex ueſtra opera prodeant quàm emendantiſsima: characteresq́; ipſi literarum, atque totius orthographiæ ratio, omnibus ſibi numeris conſtet: id etiam accedit ad curam tuã,

ac diligentiam, ut quicquid typis cudendum uel ſumitis ipſi, uel recipitis ab alijs, id ſit eiuſmodi, ut etiam citra lenocinium politioris orthographiæ iuuet lectoré: ut iam illud ſit prędiudicij loco, quicquid exeat ab officina Manutiana, id citra controuerſiam eſſe numeris omnibus abſolutum. Facit hanc fidem mi Paule, cùm ea cura diligentiaq́;, quam dixi: tum præſtans iſta eruditio, iudiciumq́; propè ſingulare tuũ: tum uerò egregia probitas ac fides, quæ te omnia ſic omnibus cõmendant, ut nemo ſit, qui putet te aut falli poſſe, quem iudicent prudentiſsimum: aut fallere uelle, quem etiam norint optimum. Sed quorſum hæc tam multa? nimirum eò tendunt, mi Manuti: primùm ut laudem iſtud, quod agitis, uelimq́; id omnino eſſe perpetuũ: deinde ut petã, ut nos etiam hoc idem agentes tandem aliquando reſpiciatis. Nam cum ſeu fati neceſsitas, ſiue natura, ingeniumq́ue ad id propenſius, me quoq; ad ſcribendum, meditandum, commentandum a-

liquid

liquid iampridem compuliſſent: equidem id ſemper ſtudui, omnibus deniq; neruis contendi, ut quæ ſcripſiſſem, nō uoluptatem modò, uerum etiam utilitatem cum primis haberent aliquam: memor utiq; dicti illius Horatiani,

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

Cæterùm cum uiderē omnia ſcribendi argumenta ſic à ueteribus occupata, ut fermè nō eſſet nouis amplius relict⁹ locus: deinde ſi quid eſſet à recentioribus innouatū, ut ſunt multa fuſa ac refuſa, ea putarem eſſe ſatis ſuperq; ad onerandum lectorem quamlibet ſtudioſum, etiamſi nihil acceſsiſſet noui: propterea iudicabam ſatius eſſe, uel interpretari uetera, & explicare commentarijs, quæ eſſent obſcuriora, (id quod ipſe egregiè p̄ſtitiſti in Epiſtolis ad Atticum) uel uertere ipſa eadem opera latina, ob parum Latini ſermonis intelligentes, in Hetruſcum ſermonē. Quòd tamen, ſi qui eſſent, qui uel maioribus ingenij uiribus adiuti, uel uberiori doctrina inſtructi, uel commodio

re aut ocio aut fortuna uſi, de ſuo ſcriberent, nouamque omnino rerum à ſeſe uel congeſtarum, uel inuentarum telam contexerent: nos hiſce nihil inuidentes, plaudentes etiam, ingenioli noſtri atque imbecillitatis conſcij: eam ſumus uiam ingreſsi, ut nihil ederemus noui, transferremus autem quàm ſumma poſſemus cura, nõnulla eorum quæ uel à ueteribus tradita, uel à noſtris etiam cognitu digniſsima iudicaremus. In his itaque habemus quædam iampridem abſoluta, ut quæ nonum etiam illum annum ſint ſupergreſſa: alia ſemiconfecta, nonnulla etiam rudia, & paulo antè inchoata. Cuperem autem ex his aliqua prodire in lucem, in commu nem hominum utilitatem, tuo Delphino inſignita: hoc eſt, iudicio tuo teſtimonioque commendata. Neque hic quicquam prẹmij aliud mihi propono, præter hoc ipſum teſtimonium tuum, fructumque tuæ in me perpetuæ beneuolentiæ. Quod ſi impetro, me ſatis locupletatũ abs te arbitrabor. Certè ſpe-

ro

ro hæc noſtra qualiacunque, tibi & utilia, & honorifica eſſe futura. Tu mi Paule, ſi exiſtimabis è re tua fore, huic noſtro deſiderio ſatisfacere, nos quamprimùm facies certiores, qui proximis ad te literis, quid hoc totũ ſit tibi aperiemus. Vale. Pataūij, nonis Maijs. 1549.

Illuſtriſ. ac Reuerendiſ. Georgio Armeniacenſi, S. R. E. Cardinali ampliſſimo, Io. Iuſtinianus S. 9

VT nihil unquam expertus ſum te uno uel humanius, uel benignius: ita nihil experior aut grauius, aut moleſtius, quàm quòd tam longè abſumus. Torquet enim me non ſolum, quod careo fructu iucundiſsimæ conſuetudinis tuæ (qua tamen iampridem magno cum animi mei dolore carere didici) uerùm etiam, quòd ea qua huic malo mederi poteramus, uiciſsitudo literarum, ipſa quoque nobis eripitur, locorum intercapedine: qua fit, ut à ſcriptis literis uix tandem poſt aliquot menſes reſpóſum ad eas recipiamus: ut id quod

interponitur temporis expectationi, non mediocrriter diſcruciet: ſic prorſum, ut etiam in ſummo ſcribendi deſiderio conſultius mihi nõnunquam eſſe putem non ſcribere, quàm ubi ſcripſi, differri expectando. Atque hoc quidem potiſsimum fuit in cauſa, cur tam diu diſtulerim ad Ampl. tuam aliquid literarum dare, poſt eas uidelicet, quas ad te poſtremùm dedi Italicè ſcriptas, quibus Ampl. tuę gratias agebã de ſyngrapha. Nunc uerò uel officio motus, uel re nata denique admonitus, hæc ad te habui ſcribenda: quibus primùm à te peto, ut ne in altiſsimo quidem ſilentio putes, tui, tam chari capitis, memoriã, ex aureo huiuſce pectoris uaſculo, in quo illa cùm à naturæ meę Genio incluſa, tum à liberalitatis & ſingularis humanitatis tuæ manu obſignata eſt, poſſe eximi: deinde rogo, Patrone ſingularis, ut uiciſsim huiuſce cliẽtuli memoriam ne apud te intermori ſinas, aut ullo denique tempore obliterari patiare. quod quidem de te mihi firmiter ſperare,

rare, de me tibi conſtantiſsimè poſſum polliceri: tametſi in tam diutina, tamq; multis tuis in me meritis, meisque in te perpetuis conſtantiſsimisque ſtudijs atque officijs confirmata beneuolentia, hæc noua ueluti ſtipulatio potius uideri poteſt ſuperflua, quàm neceſſaria. Quid enim ego, etiamſi pro te centies capitis periculum adijſſem, à te maius, aut amplius expectare potuiſſem, quàm ea ſunt, quę mihi præſtitiſti? Aut qua ego re tandem melius in hac fortuna tibi oſtendere potui, quanti te facerem, quàm eo ipſo, quod quidem tu de animo meo in te noſti? Sed de me nihil eſt quod dicam: id quicquid eſt, iudicio de me tuo æſtimandum relinquo. Dicam de tuis in me multis, magnisq; omnino meritis, ob quæ, uel ſi eſſem omnium ingratiſsimus, non poſſem tibi nõ inſolubiliter eſſe deuinct⁹. Primùm olim Venetijs, dũ ibi ſumma cum tua laude, magnaque omnium atque honorificentiſsima de te prædicatione, Oratorem Regium ageres, me primo

primo illo cógreſſu, uix de facie notũ, ita complexus es: ita porrò omni genere humanitatis, comitatis, benignitatis proſecutus, ut nihil fieri potuerit uel amantius, uel honorificentius. Deinde uerò, ubi iam dies, atque arctior quædam familiaritas & cõſuetudo me tibi, ob aliquam fortaſſe de uita & moribus meis opinionem (nam de ingenio & eruditione nihil eſt quòd mihi arrogem) ſed quum aliqua omnino de me opinio me tibi uehementius commendaſſet, quid à te eſt prætermiſſum, quod ad me augendum atque ornandum pertineret? Suſcepiſti patrociniũ meum apud Regem Chriſtianiſsimum Franciſcum, eius nominis primum. Scripſiſti, me inſcio, eas de me literas ad Cã tabriæ Reginam, ipſius ſororem, quibus neſcio an quicquam de Hieronymo Stridonenſi, aut Auguſtino Hipponenſi honorificentius ſcribi potuiſſet: certè amantius nihil potuit. At non ſuc ceſsit. Quid tum poſtea? Certè per te non ſtetit, quo minus ego eſſem ornatiſsimus.

tiſsimus. Atque utinam Rex ipſe tam diu uixiſſet, ut bellis defunctus, ad Muſas, quibus fouendis natus erat, reſpicere potuiſſet. nunc fortaſſe fruſtra nõ laboraremus. Sed ille noxio fato interceptus, ſpes noſtras omnes abrupit, nosque præcipiti uia effugiẽs orbos reliquit. ut uerè liceat exclamare, ô fallaces hominum ſpes, fragilemque fortunam. Veniſti poſt longum tempus Patauium, abhinc triennio: ubi quum ego tibi prꝑſtò fuiſſem, an putas me humanitatis, comitatis, ſuauitatis tuæ oblitum eſſe? aut excidiſſe mihi quæ dixeris, feceris, ut me afflictum fortunæ caſibus, abiectumque animo erigeres, ac confirmares? Nam quum in ædibus præſtã tiſsimi uiri M. Mantuæ Bonauiti iuriſconſulti à prandio conſurrexiſſes, meque ſeorſum manu uocatum, interrogaſſes quid agerem? ut ualerem? ecquid res domi ſatis ſaluæ? Ego uerò, ut nunc quidẽ eſt, recte ſanè, dixiſſem: uerùm illud mihi perincõmodè accidiſſe, quòd Rege Franciſco uita functo, meæ ſpes

omnes,

omnes, cogitationesq; unà cũ eo concidiſſent: ná quæ opera in ipſius Regis gratiã te authore cœpiſſem, ea manerẽt interrupta: ac ueluti à capite ſuo diuulſa, diſsipata, & proſtrata iacerẽt: tu memor cùm conſtãtiæ tuæ, tũ priſtinæ in me beneuolentiæ, hortatus es ut bono animo eſſem, cœpta perficerem, manus ijs imponerem: te mihi apud hunc Regẽ neq; ſtudio, neq; gratia, neq; authoritate unquá defuturũ: præterea in his, quę ad priuatã rem tuã attinerẽt, facile curaturũ, uti ego te mihi amicũ eſſe planè cognoſcerem (ſic enim & tua dixit humanitas, & ego libenter uſurpo) daturum denique operam, ut me non fruſtra ad te amandum atque obſeruandum, animum induxiſſe, facilè intelligerem. Quæ ſecuta ſunt poſtea, longum eſt commemorare. Quid deinde Romæ tum ad Reginam Galliæ, tum ad Diuam Margaritam Regis ſororem de me, ac operibus meis: quid Oratoribus regijs, quid alijs amicis tuis præſtantiſsimis uiris, & quàm diligenter ſcripſe-

ſcripſeris: quid poſtremò in Galliam profectus, coram ipſis Principibus de me dixeris, ut cauſam meam egeris, ut nihil denique ſit à te prætermiſſum, ut ne uidelicet ego abiectus aut deſpectus iacere permitterer: longum eſt cõmemorare, ac minimè neceſſarium. Dicere autem, quemadmodum, ubi uideris rem regiam longius procedere, ære tuo me ſubleuaris: id quidem facerem, ſi aut ego non pluris ducerem habere gratiã, quàm agere: aut tu is eſſes, qui non potius benefacere, quàm tua benefacta laudari gauderes: hoc eſt, niſi minus ſtuderes famæ, quàm conſcientiæ. Porrò hæc ſemel dicenda mihi fuerunt, ut quando ita uſu euenit, ut ad te uel ſerius, uel rarius literas mittam, quàm aut ego deberem, aut ipſe fortaſſe deſiderares: ne me putes alio nunc eſſe ingenio, atque olim erã, quum me alijs tãtopere commendabas: deniqué eum eſſe, qui nõ meminerim, uel minima tua in me non dicam merita, ſed uerba etiam, & nutus,

quibus

quibus me unquam aut præſentem comiter exceperis,aut abſentem honorificè cohoneſtaris:quod equidem haud minoris faciendũ exiſtimo,quàm quęuis alia beneficia, atque animorum incitamẽta. Etenim cur ego non gaudeã, cum Hectore illo Neuiano laudari à laudato uiro? Sed de his ſatis. Nunc illud reſtat tibi ſignificandum, me uidelicet nactum ut opportunam,ita & honeſtam occaſionem, ſcribendi ad Gallorum Reginam, eamq́ue etiam laudibus tollendi: ſcripſiſſe ad eam literas, quarum exemplũ cum his ad Ampl.tuã mitto. eas literas per communes amicos ad Aloiſium Alemãnum,Reginę ipſius œconomum, quas illi bona fide redderet, mittendas curauimus. Porrò illas non prius ad Ampl.tuam miſi, ut eas ipſe Reginæ mitteres,ne aut te illa commonefactione, ac ueluti nominis appellatione apud eam grauarem: aut certe ne uiderer in tuam gratiam ſcripſiſſe, quòd eam mihi ante laudauiſſes. Credo hic approbabis cõſilium meum.

meum. Cæterùm ſi quid nos iuuare ſtu dio & authoritate tua potes (nã quin uelis non dubito) id erit cùm conſilij tui, tum perpetuę in nos beneuolentię. Sin importunum uidebitur, ob res bel licas, quæ ſibi totos principes poſcunt, ac planè uendicãt: nos in aliud reijcies tempus cõmodius, aliud ſcilicet ex a-lio expectãtes. Interim illud optarim, utiq; mihi aut meliorẽ fortunam dari, aut certè uitã diuturniorẽ: alterũ, ut ne quicquã iſtius opis mihi opus eſſet: al-terũ, ne tempore interceptus, Princi-pes gloria ſuæ in me liberalitatis frau-darẽ. Porrò quod aliàs ad ampl. tuam ſcripſi, ſecutus conſiliũ & authoritatẽ tuam, priuignæ uirũ proſpexi, fretus ni mirum Principũ iſtarum liberalitate: à quibus quũ hactenus nihil profectũ in nos fuerit, quo miſera puella fructũ ali quem uel laborũ meorũ, uel charitatis patriæ, uel ſuæ probitatis perciperet, me planè macerat, ac iã propè ad pœni tudinẽ adiget incœptorũ. Mater puellę optima & ſanctiſsima fœmina, tuæ ſalu

tis,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tis,fœlicitatisq́; cupidiſsima: quę olím te freta in eã ſpẽ uenerat, fore ut ab regia liberalitate in filia collocanda ſubleuaretur: nunc, etſi nõ prorſũ ea de ſpe decidit, tamẽ ſubueretur, atq; interim iacet animo, ac planè languet: eoq́; magis, quòd Ampl. tuã omnẽ eam curã ab ſe abieciſſe putat: me uerò eiuſce rei ſpõſorẽ ſubinde appellat. Quod ſi tua clementia ſcriptis ad nos literis eã authoritate ſua ſubleuarit, atq; in ſpem repoſuerit, omnẽ hanc dilationẽ reijciẽs in miſeram hanc temporũ conditionẽ (id quod & ipſe mehercule facio) id erit eiuſmodi, ut cũ meã fidem apud eã ſoluat (ſunt enim mulieres, ut quiuis nouit, moleſtæ promiſſorum appellatrices) tum tuam in nos beneuolentiam perpetuã eſſe planè oſtendet: qua mihi conſeruata, nihil eſt in quo non optimè actum mecũ ſim exiſtimaturus. Porrò Lucretia mea hinc ad paucos menſes tranſmiſſura eſt Iuſtinopolim ad filiam parturientẽ: ne putes nos eam uiro nõ dediſſe. Deum precor, puella optima e-
dat

dat filiolum uotis ac meritis parentum reſpondentẽ: qui tibi olim ſummo Pontifici uel à poculis, uel etiam à ſecretis, citra tamen ullam amicorum iacturam, eſſe poſsit. Iſtæc regia expeditio mirũ quàm hominum animos erexit: atq; ad noua, inaudita, incredibilia excitauit. Quod ſi fata conatibus fauerint, ampla ſanè dabitur materia ſcriptoribus, magnas res geſtas poſteritati cõmendãdi. Porrò multi iam nunc dubitant, ne illa Cæſariana hiſtoria de Germania ſubacta, ante uictoriam encomium fuiſſe uideatur. Sed hæc Deus uiderit. Nunc dicere non poſſum, quàm diligam Cornelium Crocinum, cùm ob ſingularem illius ingenij, morumq; probitatem: tũ quòd Ampl. tuæ ſtudioſiſsimum, cupidiſsimumq; eſſe cognoui: tum poſtremò, quia me mirum in modum & obſeruat & diligit. Quod ſi nulla mihi alia cum illo amoris cauſa intercederet, profectò illa eſſet uel maxima, quòd ipſius literis fit, ut de ampl. tua nõnunquam cognoſcam: id quod mihi uſu e-

uenit ex his literis,quas hodie ab eo accepi:quibus intellexi, te Regium legatum Toloſam aut iam profectũ , aut certè propediem profecturum. Cætera te ſemper & lętum & beneualentem & eſſe,& audire,uehementer cupimus: idq́; Deum opt. max. rogamus. Vale, Nonis Auguſti, M. D. L I I. Patauij.

Ioan.Iuſtinianus Paulo Iouio Epiſcopo Nucerino S.P. 10

ETſi uel aliorum perpetuo de doctrina & humanitate tua teſtimonio,uel meopte iudicio mihi habebam perſuaſum, eum eſſe te, qui tam facilè alienis erratis ignoſceres,quàm conſtanter ab ijs admittendis fortiterque abſtineres: putabamq́ue fore,ut nemo eſſet tam illiteratus, (qui ad te uirum doctiſsimũ aliquid ſcriberet, quo ſuam in te fidem atq; obſeruantiam teſtaretur, uelletq́; ſuæ apud te beneuolentiæ pignus aliquod eſſe poſitum) cuius tu, ſi minus ingenium atque eruditionem probares, ſaltem illius de ſingulari tua uirtute iudicium,atque animi in te propenſionem,

ſionem, non æqui boniq́ue faceres: ta-
mē ut ingenuè fatear uel ignauiam, uel
ruſticitatem meam, non ſum auſus in
hunc diem ad te quicquam literarum
dare. Nam quantum illa ſuperiora ad
te amandum, colēdum, obſeruandum,
mihi addebant uel animi, uel ſtudij: tā-
tum detrahebat fiduciæ cùm ampliſsi-
ma tua eruditio, tum grauiſsimū iſtud,
exactiſsimumq́ue de rebus examen at-
que iudicium. Et mihi quidem id ha-
ctenus fuit in cauſa, cur nondum quic-
quam ad te ſcripſerim: ueritus utiq;, ne
in aliquod uicium uel arrogantiæ, uel
temeritatis, uel deniq; ineptiarum in-
currerem. Sed ſenſi tandem, ſenſi me,
dum parum pudētis ſpecimen deuito,
in parum prudentis ſpeciem incidiſſe.
Etenim cum tu anno ſuperiore Vene-
tias ueniſſes cum illuſtriſsimo Mecœ-
nate tuo Daualo, atque ego ſanè offi-
cij ac ſalutandi tui gratia, in ipſius prin
cipis ædibus te conueniſſem: tuq́;, qua
es humanitate, me ſic accepiſſes, ut ni-
hil in eo genere amoris, ſtudij, benigni

tatis prætermiſeris: par erat, ut ex eo, quacunque ratione poſſem, ad te aliquid ſcriberem: neque tam ſpectarem quid tu de literis atque ingenio, quàm quid de animo ac ſtudio in te meo poſſes iudicare. Sed uicit ſanè pudor ille ſubruſticus, uicit hactenus, fateor: qui quidem poſtremò uictus, uel memoria illius humanitatis, qua tu me es complexus, uel admonitu liberalioris officij, hæc ut ad te ſcriberem tandem perpulit. Cæterùm quid ego nunc ad te ſcribam potiſsimum, uirum noſtro æuo omni liberali doctrina politiſsimum? eloquentia eminentiſsimum? authoritate grauiſsimum? Quid hercle, niſi ut teſter id me ſentire, quod ſcribo: id uerò ſcribere, quod nemo non ſentit, nemo nō fatetur, niſi cui iudicium uel inuidia abſtulerit, uel malitia peruerterit, uel deniq; imperitia denegarit? Nā (ut de me interim aliquid) quanquam non is ego ſum, qui de rebus magnis iudicare facile poſsim: (neque enim, ut ille ait, niſi ſapiens poteſt perſpicere ſapientem

pientem

pientem) tamen genus illud ſcriptorum tuorum ſic me uel cæpit, uel incendit, ut nihil mihi legiſſe uidear unquã, quod omni antiquitati fortius oppoſuerim. Nanq; (ut de hiſtoria tua aliquid dicam) in ea, meo quidem iudicio, quicunque in eo ſcripti genere millesimo abhinc anno cum aliqua laude uerſati ſunt, eos mihi ſanè uideris longè prætergreſſus: utique ſi cætera ijs reſpondent, quæ ex libro ſeptimo tuorum Annalium perlegere mihi licuit. nam ea, quæ cum Venetijs apud te eſſem, mihi obiter legẽda permiſiſti, etſi non tantum mihi ocij ſuppeditatũm eſt, ut ſingulas dictionis tuæ uirtutes ſatis commodè potuerim contemplari: ea tamen omnia, quæ mihi ueluti pertranſennã uidere licuit, ſic mihi arriſere, ſic ſunt eblandita, ut, quod penè ſit nephas dicere, poſteriora quæq; prioribus potiora, id eſt abſolutiſsimis abſolutiora ſanè uiderentur. Habet enim id unumquodq; pulcherrimum atq; elegantiſsimum, ut quod eſt in eodem ge

nere poſtremum, id etiam ſit bellißi-
mum: ea tamé lege atq; ratione, ut prio
ris gratiam non modò non extinguat,
uerùm etiam cõmendet. Certè, ut re-
deam ad ſeptimum hiſtoriæ tuæ librũ,
qui quidem eſt apud me, diligentißi-
meq; aſſeruatur, ac ſubinde relegitur,
tot ac tantas in eo ingenij, eruditionis,
eloquẽtiæ uirtutes animaduerti, ut ple
runq; inter legendum ab acclamationi
bus uix mihi fuerit reſpirãdi locus. Ac
ſæpenumero non eos modò fœlices ap
pellare libuerit, de quibus tu aliquid
ſcripſiſſes celebrius, atq; honorificen-
tius: uerùm etiam ijs applaudere, quib.
his temporibus ſic uel naſci datum eſ-
ſet, uel mori, ut eis inſcripta tua merito
aliquo ſuo peruenire cõtigiſſet. Quod
iam enim Glauci gramen requirant, æ-
ternum uicturi? Viuent illi, uiuent per
te, ſed & tecum: uiuent in ſummi ac prę
ſtantißimi uiri literarum monumẽtis.
neq; ingenij tui modò fructum perci-
pient, quemadmodum Xenophõtis Cy
rus, aut Curtij Alexander: uerùm etiá
authoritatis

authoritatis grauiſsimi hominis & ſan ctiſsimi præſulis, & in ſummo honore ac dignatione apud Principes & ſummos Pontifices habiti epiſcopi: ut illis non ſolum hiſtorici ſtudium, doctiſsimiq; hominis diligentia ſuppeditata fuerint, ſed etiam teſtimonium ac fides grauiſsimi uel teſtis, uel iudicis impertita eſſe uideantur. Equidem non tantũ mihi arrogo, ut de ſcriptis magnorum uirorum quicquam auſim proferre liberius: attamen pro ea ratione ſtudiorum, quam ab ineunte ætate ſecuti ſumus, non nos pœnitet huiuſce iudicij qualis certè cunq;: quo equidẽ fretus, auſim affirmare ſcripta tua ſempiterna fore, atq; ijs omnino immortalitatem polliceri. Quibus autem rationibus adductus id credam, illæ ſunt nimirum non præcipuæ modò, uerùm etiã perſpicuæ. Nam quum duo ſint potiſsimũ, quæ in hiſtoria requirantur, diligentia & fides, ut ſine his non ſit hiſtoria: cum his, etiam quæ ſunt nuda, omniq; orationis lenocinio deſtituta, lectorem ta

men curioſum inuitent, pertrahant illecebra ueritatis (qualia fuiſſe à pincipio ſcripta apud Græcos Pherecydis, Hellanici, Acuſilæ: apud Latinos, Catonis, Pictoris, Piſonis, author eſt M. Tullius) nemo eſt omnium, qui horũ quicquam in hiſtoria tua ſit meritò deſideraturus. Etenim cum tu non multorũ more ea tibi ſcribenda ſumpſeris, quæ uel multis retro ſeculis ab alijs eſſent fuſa ac refuſa, uel quæ nullo certo authore fando audiuiſſes, uel deniq; in aliorum uel odium uel gratiam ipſe ſomniauiſſes: uerùm ea tantum conſignare literis, poſteritatiq́; tradere fueris aggreſſus, quę tu ipſe uel uideris, uel alioqui habueris exploratiſsima (id quod etiam teſtaris in ea ad Carolum Cæſarem epiſtola, qua illi expeditionem in Turcas patrio ſermone cõmendas, his uerbis: Neq; uero te moueat Cęſar inuicte, quod ipſe homo religioni addictus, neq; Italię fines unquam egreſſus, audeam de re militari uerba facere, déque ijs quæ à nobis ſunt quàm remotiſsi-

motiſsima , rationem tibi reddere:
quin potius illud tibi pſuade, me diutina ſingularique uſum eſſe diligentia, idq; non ſine auxilio ſummorum principum, nec non relatu ac teſtimonio preſtantiſsimorum ducum, legatorum, militum, aliorũque diuerſi generis ac fortunæ hominum, quo uidelicet ad ueram rerum, quas in noſtris Annalibus cõſcripſimus, notitiam perueniremus: & reliqua) Cum hæc inquam ita ſeſe habeant, quis erit tandem, qui putet fidẽ aut diligentiam in ſcriptis tuis eſſe requirendum? Porrò ſi magnitudo rerũ, ſi uarietas caſuum, uitæq; ipſius uiciſſitudines legentis excitant ſtudium, hiſtoriæq; conciliant: quam unquam hiſtoriam, quos Annales, quæ ſcriptorum monumenta cum his rebus quas noſtra uidit ætas, putamus uel magnitudine rerum, uel uarietate caſuum, uel multitudine præliorum, uel atrocitate facinorum poſſe conferri? Etenim cum ita diuinitùs datum ſit, ut eodem tempore omnes ferè principes, atq; orbis monarchas

narchas adoleſcentes, ac penè pueros eſſe contigerit: qui neq; multa per ſe ſaperent, neq; ſapientum conſilijs facilè acquieſcerent: eò ſanè res mortaliũ deductæ ſunt, ut multis retro ſæculis nihil orbis uel feralius, uel exitialius uiderit. Teſtis eſt Rauenna, tot præſtantiſsimorum ducum cædibus memorabilis: teſtis Abdua, multo ſanguine militum redundãs: teſtis Nouaria, atque Vicetia, hæc noſtro, illa Gallico cruore fędata: teſtis Brixiæ ſtrages, Mediolani uaſtitas, Papiæ ſolitudo, ſiue potius deſolatio: Romę clades, Ianuæ direptio, Neapolis obſeſsio, Florentię ſeruitus: Piceni, Vmbriæ, Thuſciæ, Ligurię populatio: uniuerſæ denique Italiæ miſeranda, diutinaq; barbarorũ oppreſsio. teſtis poſtremò Germania, tot ſchiſmatis, ſtragibusque infamis: teſtis Hiſpania, tot ſeditionibus inteſtinis, & cladibus nobilis. Iam quid de caſib. ſummorum uirorum, principumq; commemorem? Quę nam ætas quęſo, quadringentis abhinc annis, uel plures, uel maiores

iores audiuit? Summum Pontificem ca
ptum, Regem Galliæ in Hiſpaniam ab
hoſte auectum: Cantabrum, Ducumq;
regno exutos, ac miſerabiliter alienam
opem fruſtra implorantes, Scotum in
ueſtigio cæſum: Pannonem regno, uitaque
ſpoliatum? Ad hæc, Rhodum, Pannoniamque,
duo totius rei Chriſtianæ
affirmatiſsima propugnacula, tandem
expugnata, atq; in immaniſsimi hoſtis
poteſtatem redacta? Appetitum toties
ingenti cũ terrore Chriſtiani nominis
iugulũ, nec minore diſpendio egrè ſeruatũ?
Porrò ſi quis hęc uel nuda propo
nat, efferatque in album, ſine ullis orna
mentis, monumenta ſolum temporum,
hominum, locorum, geſtarumq; rerum
qualia fuerunt eorum quos paulo antè
nominaui, tum Græcorum, tum Latinorum:
quis non mirabitur? quis non
obſtupeſcet, uel legendo, uel audiẽdo?
Quòd ſi qui unius gẽtis acta literis pro
didere, ut apud ueteres Aegyptiorum,
Perſarum, Græcorum, atq; in his Athe
nienſium, Thebanorum, Lacedęmonio
rum:

rum:apud noſtros Germanorum, Hiſpanorum, Gallorũ, Italorum, & in his priuatim Venetum, Florẽtinorum, Mediolanenſium: aut poſtremò, ſi qui unius hominis geſta complexi ſunt, ut Thymæus Pyrrhi, Xenophon Cyri, Curtius Alexandri, Saluſtius uel Catilinæ, uel Iugurthæ, Macauellus Caſtrutij, tu Sfortiæ, aliiq; aliorum: ſi omnes in quã ij magnam laudem, gloriamq; uel ingenij, uel eruditionis ſunt cõſecuti: quid tandem putamus fore tuis Annalibus? qui non unius gentis, nec unius hominis geſta continent: ſed uniuerſi orbis, Aſiæ, Aphricæ, & Europæ caſus, excidiaq; complectuntur? Iam ſi hæc, utcunque ſcripta, ob tot tantarumq; rerum momenta, grata eſſent futura Lectori: quanto nunc putamus fore uel gratiora, uel iucũdiora, cũ à te ſic ſunt memoriæ prodita, ſic conſignata literarũ monumentis, ut in ſumma diligentia, fide, grauitate, authoritate, nullum ornamẽtum orationis, nullum ingenij lumen ſanus Lector ſit uſquam deſideraturus?
ſic

ſic enim dicuntur omnia, ut neſcias utrum res oratiõe, an uerba ſententijs illuſtrẽtur. Mihi uerò legẽti tua ſcripta, illud ſæpe occurrit, quod eſt dictum de Lucano, atq; Liuio: Plurimũ utiq; habere uiriũ, ut bellicis ſint propèpares: nec prẹlia uidearis canere, ſed cõmittere, & intonare claſsicũ, eodẽq; ardore arma ſcribere, quo duces tractarũt. Hęc ſunt nimirũ argumẽta illa, mi Ioui, quibus adductus credã, ſcripta tua omnem eſſe iniuriam temporum, omnem uetuſtatẽ ſuperatura. Quare auſim à te petere, idq; nomine nõ meo, ſed ſtudioſorũ omnium, ac eorũ potiſsimum quos aliqua rerum mortalium tangit cura, ut neque nos tamdiu priues fructu iucundiſsimæ lectionis: neque te fraudes tua gloria: quorum alterum fuerit humanitatis tuæ, alterum etiam ſapiẽtiæ. Quid enim eſt, cur nolimus gloria noſtra uiui perfrui? & quodammodo poſteritati noſtræ intereſſe? Mihi hercle uerò inanis uidetur gloriæ cura, quę rogum expectat: à quo, aut nullus omnino eſt il-

lius

lius ſenſus:aut certè,ſi laudis ullius,glo riæ'ue deſiderio tangitur, id eſt potiſſimum, ut à ſuo laudetur iudice, bene peractæ huiuſce uitæ fabulæ: uulgi autem rumores nihil moratur,tantũ abeſt ut quærat.Neque uerò eſt,quod quicquam uereare, ne præcipitetur editio: aut cur cenſeas, nonum illum tibi expectandum annũ:quando ſcripta tua ſunt eiuſmodi,ut illis acceſsio temporis nihil omnino additura eſſe uideatur. Cæterùm non ego uereor,ne nimium laudari te putes,ideoq; uel iudicio,uel cãdori meo detrahas. neq; enim tu is es, qui,qui ſis,neſcias:aut etiam,ſi quę tua eſt modeſtia,humilius de te ipſe ſẽtias: non etiam probes aliorum de te, ſi non iudicium,certè uoluntatem. quáquam ipſe interim iudicio meo patrocinor, contentus nihilominus probari tibi in primis uoluntatem etiam meam: qua fretus,duo auſim à te petere. Alterum, ut ne hoc noſtrum ſiue iudicium de te, ſiue deſiderium tui, neglectim habeas: alterum,ut ſic me in amicorum tuorum numerum

791
numerum recipias, ut qui tibi habeas perſuaſum, nihil eſſe aut tantum, quod mihi non ſit multo infra eruditionem & facundiam tuam: aut tale, ut id amicitiæ ac neceſsitudini tuæ poſthabendum non putem. Vale, Data Venetijs, Idibus Septembris. M. D. XL.

Illuſtriſsimo D. *Ioanni Comiti Haye, ac ſacri* Ro. *Imperij procuratori,* Io. *Iuſtinianus* S. P. D. 11.

ETſi nihil erat, quod te literis meis interpellarem: potiusque Richius noſter cum literis, mandatisq; tuis nobis erat expectandus, quàm ullæ tibi à nobis mittendæ literæ: tamẽ cum tui me hodie domi conuenerint, mecumq; ſic egerint, ut dicerent, ſi quid eſſet quod tibi meis uerbis nunciatum uellem, ſe probè curaturos, ut id ad Ampl. tuam diligentiſsimè perferretur: equidem in tanta ſcribẽdi opportunitate committendum non putaui, ut nihil ad te literarum darem: præſertim quum & ipſe ante diſceſſum à nobis tuum, ueluti cõ

ceptis uerbis, mecũ egiſſes, ut aliquid ſubinde ad te ſcriberē, & ego id me factur ũ libẽtiſsimè recepiſſem. Scito igitur, nos omnes poſt tuã hinc profectionẽ in magna diu expectatione, cùm de tua incolumitate, tum de reditu ad nos tuo, fuiſſe ſuſpenſos. quum tandem ex tuis literis intelleximus, & te iſthuc incolumem perueniſſe, id quod nos mirũ in modum exhilarauit: & iam non amplius ad nos rediturum eſſe, quod mihi ſanè fuit quàm moleſtiſsimũ. Cæterùm eam moleſtiam illud leniuit ſolatium, quòd intellexi te ampliſsima dignitate, ſummisque honoribus à Cæſare auctum: uirtutemque ac ſanctitatem tuam eo loci eſſe conſtitutam, ubi radios ſuos promere, longeque ac latè poſsit relucere. Itaque dolorem illum ac mœrorem, quem ex abſentia tua cœperam, præſenti commodorum atque honorum tuorum acceſsione mitigaui. Porrò præmia iſta uirtutum atque honeſtamenta, cùm magna ſunt, atque ampla: tum circumſtantijs lon
gè

gè ampliora fiunt, atque illuſtriora. Nam etſi magnum quiddam atque eximium eſt, in iſta ueluti ſpecula Imperij eſſe impoſitum: illud tamen efficit, ut hoc ipſum maius atque illuſtrius appareat, quòd ad iſtum es euectus locum, eaque tibi cura demandata eſt ea ætate, quæ nondum matura tanto oneri ferendo uideri poterat, niſi uirtus, præſtantiaque animi tui ætatem præuertiſſet. ut illud ſanè meritò de te dici queat,

Ante annos animúmque gerens, curámque uirilem.

Adde quod non ámbitu, aut malis artibus irrepſiſti ad honores: neq; ab eo Principe, ad eam ex ſublatus dignitatem, qui hominum ſenſus minimè calleat, quique honores deleget immerentibus: uerùm ab optimo, ſapientiſsimóque Principe Carolo Cæſare Auguſto, qui te non temerè ingeſtum, aut obtruſum, ſed longiſſimè gentium diſsitum, atque in alienis terris commorantem, accerſendum, tergiuerſantique

ac prorſum fugitāti honorem iſtũ man dandum curauit. Inſigne profectò aliquid, ac præclarum illud eſſe oportet, quod oculatiſsimus Imperator in adoleſcente eſt intuitus· quamobrem in tāta circunſtātium procerũ turba, illum unum ab Italia uſque magnis contentionibus euocatum, de medio ſtudiorũ curſu abreptum, ſummi imperij procurationi pręfecerit. Quæ dũ ſingula mecum animo reputo, facere non poſſum quin iudicio meo mirificè delecter, qui ex uno atq; altero cõgreſſu noſtro, ita protinus mihi uiſus ſim perſpexiſſe ingenium tuũ, ut nihil humile aut abiectum, imò nihil nõ pręclarũ, ac planè regium, ab iſta indole, imò iam ab iſta cõfirmata, perſpectaq; uirtute expectandum eſſe planè iudicarem. Quæ res ſanè effecit, ut nõ ſolũ meam operam iugem ac ſedulam libentiſsimè impertirer ſtudijs tuis, dum hic ageres: uerùm etiam, ut in omnẽ reliquã uitam ac fortunã auderem nõ leuia præſidia atque ſolatia huic ſenectuti ab iſta animi tui

præſtan-

præſtantia atque altitudine polliceri. Hanc tu opinionem meam ita & re ipſa fouiſti, & oratione firmaſti tua, ut ſim ipſe mei diſsimilis, ſi quid aliud unquã magis cupiã, quàm cùm te lætum & be neualentem, atq; in optimo ac fœliciſſimo ſtatu rerũ uiuentẽ audire: tum eas mihi dari optẽ occaſiones ac uires, ut tibi poſsim oſtẽdere quanti te faciam: quáquam iſta deformata iam ac planè, in tã florẽti ætate, matura uirtus, me de lectet, atq; afficiat. Sed de his ſatis, ac fortaſſe etiam nimiũ multa: nunc de me pauca. Equidẽ poſt diſceſſum à nobis tuũ, mi patrone, memor quid mihi eſſet abs te iniunctũ de opere Ludouici Viuis de Veritate fidei Chriſtianæ abſoluẽdo, nihil cunctatus, illicò dedi operam, ut ne homini parũ diligẽti te id mãdaſſe intelligeres. Itaq; opus aliquot ante annis à me uerti in Ethruſcũ idioma cœptũ, intra paucos mẽſes abſolui mus. Verùm, quod dixi abſoluimus, res ita ſe habet. Porrò opus ipſum cõ ſtat libris quinq;: quorũ duo primi cũ

poſtremo, nẽpe quinto, iugi ꝑpetuaq́; oratione cõſtát: reliqui uerò duo, utiq; tertius & quartus, dialogo rẽ tractant. Tertius enim continet Chriſtianum & Iudæum, de fide legeq́; concertantes. In quarto autẽ, Chriſtianus cum Mahumetis propugnatore de ſalute, doctè ſanè, ac mira prorſũ dexteritate contendit. Nos eã partẽ tantũmodo, quæ habet perpetuã orationem, hoc eſt libros tres, confecimus quanta maxima potuimus diligentia. interim à dialogis abſtinuimus: ſimul ne opus excreſceret in uolumen fortaſſe grandius, quàm ut leuiore ſumptu poſſet cum typographis tranſigi de illo excudendo: ſimul etiã, quod cogitabam, id me reſarturum, ubi Richius ad nos rediјſſet, remq́; totã cum eo propius cõmunicaſſẽ. Tametſi cœpti iam ſunt nobis uerti Dialogorũ etiã libri, ne uidelicet operi tã ſeriò magnæq́; omnino frugis, quicquã à nobis per ignauiam omiſſum detractũ ue eſſe uideatur. Sed de his omnibus erit nobis conſilium cũ Richio: cui uelim ad

nos

nos redeunti mandata des, quid prorſum de hac re tota cẽſeas nobis eſſe faciendum. Nos interim epiſtolã Ethruſco ſermone exaratam, tuo nomini inſcriptam, ipſiq; Operi præponẽdã confecimus: eãq;, ut arbitror, pietate tua, cęteriſq; animi tui dotib⁹ nõ indignã: quã ipſa ex Richij, uiri doctiſsimi, tuáſque res percallẽtis, iudicio moderabimur: quẽ etiã ob id ſitientius expectamus, lętũq; atq; alacrẽ uidere cupimus magnãq; omnino uoluptatem de te rebusq; tuis nobis nũciantẽ uidere optamus: idq; Deũ opt. max. uotis omnibus cõprecamur. Vale Illuſtriſs. domine: ac tibi perſuade, cũ à pauciſsimis tuorũ diſceſſeris, qui glorię tuę plus faueat, qui plura fauſta, fœliciaq; tibi ominetur, qui deniq; magis ex animo te colat, ac diligat, quàm Iuſtinian⁹ tuus, eſſe nemĩnẽ. Iterũ ac millies uale, Princeps optime, atque omnium quos noui quouis principatu digniſsime.

Patauij, 3 Cal. Iunias, M.D.LIII.

IOAN. IVSTINIANI Epiſtolæ Scholaſticæ, ſeu Morales.

Amico Chriſtiano ueram beatitudinem. 1

QVoniam te ſemper optimarum, pulcherrimarũq; rerum ſtudioſiſsimũ, cupidiſsimũq; eſſe cognoui: propterea mihi uideor operęprecium facturus, ſi, in tãtis uitæ tenebris, quibus hoc tempore omnia ſunt inuoluta, paucis tibi oſtendero, quæ'nam ſit rectiſsima, & expeditiſsima in cœlum uia, ubi animæ fœlices in ſumma beatitudine cum Deo immortali, æuo fruuntur ſempiterno. Primùm igitur omnium, illud ſcito eſſe maximum, maximeq; neceſſarium, ut eius doctrinam atq; opera ſequare, cuius nomen ſectamq; profiteris. Deinde, quæcunq; bona facturus ſis, in illius gratiã efficias, qui tibi dedit etiam ut uelles: mala uerò in ipſius quoq; gratiam repudiès, ac deteſtere. Nulli te affectui abripien-

795

ripiendum permittas, nemini noceas: aduerſa æquo animo feras. Quòd ſi qua humana imbecillitate uictus deliquiſti, ad cor redi, pœniteatq́; ex animo admiſsi: daq́; operam, ut ne iterum, aut certè ut ne ſæpius ad eundem lapidem impingas. Quod ſi difficilè id potes, pijs precibus, lachrymis, ieiunijs, eleemoſynis ueniam à Deo pete: qui proculdubio dabit, ſi ex animo petieris. Tunc demũ elue conſcientiam apud ſacerdotẽ, ſed peritum, ac probatũ uirũ. illius ſanis monitis, tu ſanus obtẽperato. Deniq; quod eſt etiam apud Ethnicum philoſophum, ſerua ritus atq; inſtituta maiorum, ac religionis patriæ: ſic demum, & diuinę legis præcepta cuſtodire, & patrias leges haud negligere uideberis. Porrò in cæremonijs ac traditionibus hominum neq; nihil, neque omnia eſſe poſita exiſtimes. Hęc autem quæ à me dicta ſunt, ita obſerues, ſi prius iudicaris, ſint ſancta necne: & CHRISTI regulæ conſentanea, nec ne. tum uerò ita demum iudices, ut pri

f 5 us

us rem totam diligenter examines & cognoſcas, quàm ſententiam feras. Nihil enim in rebus grauiſsimis pernicioſius, quàm conſilij atq; iudicij præcipitantia. Illud autem in omni uita cōſultiſsimum fuerit, utiq; ſi in rebus dubijs non plurium, ſed meliorum ſententijs acceſſeris. Vale.

Eidem, in beatum prophanum. 2

MIrabar, hoc ſi ſic abiret: ſi nemo exiſteret, qui recta cōſilia repudiaret. Nunquã tam fœliciter actum eſt cum rebus humanis, ut nō multo plures eſſent, quib. praua placerent, quàm quîs recta probarentur. Itaq; non miror, amico iſti tuo minimè probari eam epiſtolam, qua tibi, qua etiã illi, ſi uel micã haberet ſalis, oſtendebã, quæ ſit tutiſsima expeditiſsimaq; ad beatitudinẽ uia. Illud etiã riſi, quòd diceret, malle doceri ſe quo pacto uitam hanc poſsit beatè peragere (nimirũ qua ratione ſibi diuitias, opes, potentiã, uoluptates paret) quàm ad futuram beatitudinem uel aſpirare, uel etiam peruenire. O` uotũ Epicu-

796
Epicuro dignũ, tametſi uir ille non omnia poſuit in uoluptate corporis, ut multi putant: ſed in ea uoluptate, quæ eſt ex uirtute, ac memoria rectè factorum. Quòd ſi tuus iſte hac in parte uel ipſum uincit Epicurum: accipiat, quæ ſe ad eam fœlicitatẽ, quam ipſe optat, ſint compendiò perductura. Primùm igitur, ſi is rem non habet, omnia transformet ſeſe in miracula rerum, dum rẽ faciat: rem, ſi poſsit rectè: ſi non, quocunq; modo rem. Tum, ubi rem ſit nactus, iubeat ualere amicos, affines, cognatos, neceſſarios, propinquos: denique ſibi ſoli uiuat, nihil illum pudeat, nihil uereatur: nulla ſit cuiuſquã tam grauis miſeria, tam importuna calamitas, quæ illum uel pilo moueat, ut cuiuſquam miſereſcat. illamq́ue animi apathiam, quam magni alioqui uiri magno ſibi ſtudio parandam putauerunt: eam iſte, nullo labore, magna cum ſua utilitate, ſibi uindicet. tametſi ea mentis imperturbatio nemini facile contingit, ſine ingenti mercede;

nempe,

nẽpe,uel immanitate cordis,uel ſtupore mentis.Interea nulla ſit res tam uilis, tam minuta, ut eam ſibi negligendam putet: illud Romani principis memor,
—Lucri bonus eſt odor è re Qualibet.—

Nec illũ moueat, quòd populus eũ ſibilet: modò habeat quod numeret, quodq́ue cõtempletur in arca. Adhęc omnes ſuſpectos habeat, nemini fidat, nulli credat: illud ſubinde animo repetens, Tanti, quantũ habeas, ſis. Si nihil habeat, neminem fore qui ſe reſpiciat, aut obolum porrigat uel mendicanti. Tum uerò, aut nihil cuiquam unquam commodato: aut id facito Græca fide, quod aiunt. Si quid ulli debet, ne gratis ſoluat: procraſtinetur, tergiuerſẽt, cauilletur, ludificetur, inficietur. rurſũ, ſi quid ſit ab ullo exigendũ, nulli cedat de ſuo iure: quin omnes protinus obtorto collo in ius trahat. Si quid habẽt, unde ſoluãt: id illis adimat, auferat, eripiat, ui, dolo, minis, quo iure quaq; iniuria. nullus ſit apud eũ clemẽtię locus, nullꝰ miſericordię, nullus omnino reſpectus,

ſpectus,nulla humanæ ſortis contēplatio.Illud in primis Cômicū meminerit, *Non te pudet uanitatis? Phor. Non:dum ob rē.*

Deniq; exuat,ſpoliet, laceret,mutilet quenq; obuiū.Tum malum quodlibet nomen,ſi nō ſit ſoluendo,trudat in carcerem: ibiq; pedore ac tabe conficiat,quando id facere illi permittūt humanę leges.De diuinis prorſus nihil curato. Hæc facito, & diues ac beatus erit:ſed interim famæ,atq; animæ ualere dicito.Idem ſenſit uir ſanctus Anneus Seneca,quū diceret: Vbi me pœnituerit bonæ mētis, ſtatim ero diues. Vale.

Amico, de uitæ genere deligendo cōſilium petenti. 3

QVòd de uitæ genere deligēdo meū cōſiliū exquiris,prudēs mehercule deliberatio:& quę nunquā intēpeſtiua, niſi cum ſera eſt,eſſe poſsit. Verùm equidē inter tot uitę genera,atq; in tāta ingeniorū uarietate,nullū tibi certius cōſilium dederim,quàm quod olim dedit M.Tullius,quū diceret,Eligendum eſt optimū uitæ genus, quod iucundū cōſuetudo

ſuetudo reddet. Optimũ aũt id dico, ad quod ſis natura cõpoſitus: ne in illud in cidas, q̃ dici ſolet, Inuita Minerua. Por rò licet unũ aliquod certũ iter, ac uelu ti decumanũ tibi munieris: nõ tamẽ ꝓ tinus alia omnia tibi ſic erũt itinera obſtruenda, ut, ſi res poſcat, nequeas ad ul lum aliud diuertere: illud obiter animo reputãs, Hàc non ſucceſsit, alia aggrediemur uia. Quãobrẽ uel maximè uelim omnia, ſeu certè quàm plurima bonarũ rerũ atq; artium præclariſsimarũ principia diſcere adoleſcentẽ: ut his ia ctis ueluti fundamẽtis, reliqua ꝑ ſe quũ uſuuenerit, poſsit adſtruere. Hęc ſunt, quę noſtra liceat te uoce moneri. Vale.

Amico in re ancipiti cõſiliũ quærẽti. 4

QVòd me de nauigando conſulis, equidẽ quid cõſilij tibi hac in re potiſsimum dem neſcio. Cæterùm in omni re dubia illud fuerit cõſultiſsimũ, cogitare non ſolũ quæ inde ſperari cõmoda, ſed quæ timeri etiam incõmoda cõ ueniat: ne illud nobis contingat, quod ſemper turpe eſt habitum ſapiẽti, nem-

pe

798

pe dicere, Non putaram. Quin potius illud uſurpemus: Omnia ſunt mihi præ uiſa incõmoda: quicquid præter ſpẽ e-uenerit, id erit in lucro. Sic neq; numẽ temerè incuſabimus, neq; hominib. eri mus iniquiores. Poſtremò illud mihi conſiliũ in uita uidetur longè optimũ, optare optima, cogitare difficilima, fer re quæcunq; erunt. Vale.

Amico ſuo ſeſe modulo nõ metienti. 5

VIdeo quid agas. Nimirũ uis æquari potentiori: rana ſcilicet boui. Atqui tu, ni caues, dolebis. nõ quia malum ſit quod ille facit, quem tu æmularis: ſed quòd idem factũ tibi minus cõueniat, quàm illi. Audi quid Comicus hac de re dicat: Duo quũ idem faciunt, inquit, ſæpe ut poſsis dicere, hoc licet impunè facere huic, illi nõ licet: nõ quòd diſsi-milis res ſit, ſed is qui facit. Tum caue, ne illud temerè credas: Quicquid e-xemplo fit, id etiam iure fieri. Quin uulgus tibi ſemper ſuſpectum ſit, ma-gnus erroris magiſter. Nec te igitur il li nimis attentũ, aut docilem diſcipulũ

præbeas:

prębeas: ſed teipſum conſule, adhibita in cóſilium ratione, reiectis affectibus, conſultoribus omnino peſsimis. Vale.

Puero, ſtudia literarum fugitanti. 6

Literarum, ut uideo, ſtudia detrectas: diſcendi tediũ ſubterfugis: nihil deniq; nõ facis, nihil ut facias, nil diſcas: cõmune iſtius ætatis malum, quo (meo quidem iudicio) nullum aliud homini peſtilentius. Etenim nolle diſcere literas, quid aliud eſt, quàm meliorem ſui partem, hoc eſt, eam ipſam qua quis cenſetur homo, quaq́; diſtat à cæteris animantibus, exuere? atq; alterius cuiuſpiam animantis brutæ, mutæ, irrationalis naturã induere? Quod luculenter expreſsit Criſpus Salluſtius, cum diceret, hominem conſtare ex animo & corpore, habereq́; alterum cum Dijs, alterũ commune cum beluis. Porrò hic mihi etiam atq; etiam cogita, ſi tibi ſit equus egregius, atq; inſignioris cuiuſdã notæ, num ſis curaturus eum domãdũ, ut pareat freno, ut ſeſe habilem ſeſſori, atq; fractibilem præbeat: an uerò per-

miſſurus, ut ſit ſternax, ac refractarius. tũ ſi habeas fundum, aut hortos, neglecturus'ne ſis: an daturus operam, ut ad frugẽ, ſpeciemq́; percolantur. Quòd ſi in his, quæ multo ſunt minoris momẽti, id ageres, ut ne quis te meritò negligentiæ aut ſocordiæ poſſet reprehendere: quanto magis in animo excolendo, utiq; re omnium precioſiſsima, curare debes, ne quiſquam te ignauũ, aut ſocordem meritò exiſtimet? Iam uerò illud tecũ animo reputa, quanti momenti ſit rectè ſapere, quantum uel honoris, uel cõmodi, uel deniq; uoluptatis ſecum afferat ſcientia literarũ. Audi quid hic dicat M. Tullius, nõ ſolũ eloquentię, uerùm etiã eruditionis, atq; omniũ literarũ Latinarũ facile princeps: Nam cæteræ res, inquit, neque ætatum ſunt omnium, neq; locorum. Hæc ſtudia adoleſcentiam agunt, ſenectutem oblectant: ſecundas res ornant, aduerſis perfugiũ ac ſolatium præbent: delectant domi, nõ impediunt foris: pernoctant nobiſcũ, peregrinantur, ruſticantur.

tur. Quòd ſi ipſi hæc neque attingere, neque ſenſu noſtro guſtare poſſemus: tamen ea mirari deberemus, etiam cum in alijs uideremus. hæc ille.

Poſtremò, uin' tu ſcire, quanti ſit eruditio? Si quæres, nemo non dicet. Rogita per uicos, per fora, per compita, & conciliabula: quotquot obuiam tibi occurrent, ab ijs quære, ſciant literas necne? Si dicent ſe ſcire: rurſus ab ijs quære, an uellent etiam plura didiciſſe? Modò habeant ſenſum communem, protinus reſpondebunt: Maximè. Si neſcire ſe fatebuntur, roga, num uellent nauaſſe operam literis diligentius? Ni ſint planè pecudes, reſpondebunt, O`utinam. Da igitur maturè operam, ut diſcas. Quòd niſi didiceris, fruſtra ſerò didiciſſe uoles. Neq; ſis in officij ſimulatione, ſed in officio: quod nullus bonus unquã detrectauit. Vale.

Amico, de ſodalibus. 7

PErditis ſodalibus ne te admiſce. aut ſi huc te uel fors, uel caſus, uel ipſa res tulerit: fac ut illi potius per te meliores

liores fiant, quàm tu per eos ſis deterior: aut quod facilius eſt, & cóſultius, te ab illis quamprimùm expedi. Vale.

Amico ſtudia detrectanti, & ſcire cupienti. 8

SCire cupis: ea uerò per quæ ad ſcientiã peruenitur, facere negligis. multi ſũt in eadẽ naui. Etenim nemo eſt, quin uellet multa didiciſſe: quũ haud ita multos inuenias, qui uelint diſcere. Quid ita? Népe quia ſuauius eſt uuam de uite ungue decerpere, muſtũ de lacu deguſtare: quàm uineta fodere, autarare. Sed nil magnũ ſine labore Dij dedere mortalibus. Et uirtutis pláta ſudorẽ eſt irrigáda: cuius quidẽ radices amarę cũ ſint, fructus dulciſsimi eſſe perhibẽtur. Cui quidem ſentẽtię diuinitùs accinit uox prophetæ dicentis: Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent. Vale.

Adoleſcentẽ ad uirtutẽ hortatur. 9

IAm quando decurſo ſpacio pueritiæ, ad biuium literæ Y, quam dicunt Pythagoræ, perueniſti: uidendum tibi etiam atque etiam eſt, quorſum defle-

ctas. Certè ſi ad figurã ipſius literæ ueliſ reſpicere, facilè uidebis eam mirificè conuenire cum illa Heſiodi ſententia, quam Cicero ita probauit, ut eã aſsiduè in ore & corde adoleſcenti eſſe debere affirmaret. Eã eſt eiuſmodi:

Virtutem poſuere Dei ſudore parandam.
Arduus eſt ad eam, longusq; per ardua callis:
Aſper & eſt primùm: ſed ubi alta cacumina tanges,
Fit facilis, quæ dura prius fuit inclyta uirtus.

Vides quàm hæc poetę ſententia cõueniat cum doctrina CHRISTI? Anguſta eſt uia quę ducit ad uitã, & pauci eam ingrediuntur: porrò quæ ad læuã uergit, latiſsima eſt, ſed quæ tandem in præceps feratur. Facilis enim deſcẽſus Auerni. Noſce reliqua. Vale.

Adoleſcenti ad ſtudia ingredienti, quæ uitia potiſsimùm uitanda cenſeat. 10

TIbi nũc primũ iter uirtutis ingrediẽti, tria potiſsimũ obſtacula ſunt amoliẽda: gula, libido, ſõnolẽtia. Quod uir omni laude ſuperior, Hermolaus Barbarus,

rus,mirificè unico uerſu cõprehendit:
Venter,pluma, Venus, laudẽ fugienda ſequẽti.
Expreſsit hoc idẽ multo antè,uir nũquã ſatis laudatus,Frãciſcus Petrarcha ſermone patrio,his uerbis:
La gola, il ſonno, è l'otioſe piume:
Hanno del mondo ogni uirtu ſbandita.
Quod nos propter minus intelligentes,ſic fortaſſe latinè poſſimus reddere:
Expulit è uita uirtutem protinus omnem
Venter,pluma,Venus: cætera ſegnities. Vale.

Temerario,ac maiora uiribus ſuis affectanti. 11

QVòd tãtum facinus aggredi paras, maioraq; uiribus tuis audes,Phaetontis caſum facito ut memineris: qui ſanum patris conſilium negligens, infelici lapſu,magna cũ ſua multorũq; calamitate docuit,quàm præceps audaxq; conſilium ſit pertimeſcendum. Vale.

Amico de memoria conſilium. 12

MEmoriam tuã incuſas :eamq; infirmam, fluxam, caducam eſſe conquereris. Nimirum iſtud naturæ uitium tibi eſt commune cum multis. Ve-

rùm, ſi neſcis, memoria, quam Sapientes theſaurum ſcientiæ dixerunt, exco lendo augetur. Da igitur operã, ut hoc tantum donum, à natura tibi aut denegatum, aut certè malignè traditum, cura, ſtudio, diligentia, multa ſcribendo & commentando, ſarcias. Vale.

Amico, ne præbeat aures aſſentatoribus. 13

SI tã bonus ac ſapiẽs eſſes, quàm haberi cupis, minus famæ ſtuderes, quàm conſcientiæ. Nunc dũ adulatoribus delectaris, id agis, ut & ipſi per te nequiores fiant: & tu per eos deterior, ac ſtultior. aut igiť teipſum cõſule, aut uale.

Adulatori. 14

PRæſenti blandiris, abſenti detrahis. Dextra lapidem geris, panẽ oſtentas altera. Aut tu malus es, aut me fatuum exiſtimas. Verùm illud tibi perſuade, te iam nemini poſſe imponere, quia omnibus notus es. Me quidem certè ſi fallis, non fallis: ſi non fallis, fallis. Aenigma, dices: nempe Sphingi. Vale, ut mereris.

Amico, ne fidat palponibus. 15

Aſſentatoribus delectaris, eosque ad te admittis: recta uerò ſuadentes auerſaris, ac refugis. Iſtud perinde eſt, ac ſi quis philtra, aut uenena propinantem amplexetur: antidotum uerò, aut medicinam adhibentem explodat, atque auerſetur. Vale.

Amico ſanum conſilium. 16

Vin tu & ſapiens, & bonus, & haberi, & eſſe? Nõ quod paſsim fieri uides, ſed quod fieri decet, id facias: neque uulgi opinionem tu ſequere, citra delectum: ſed quod ratio præſcribit, quod ius fasque exigit, id demum facito: & uir ſapiens ac bonus eris. Vale.

Amico, ſerius conſilium quærenti. 17

Nauim conſcẽſurus, debueras de nauigando expertos nauigationis cõſulere: nũc te ab alta puppi ad terrã reſpectantẽ, cõſiliũ ea de re quęrere ſerũ eſt, atq; importunũ. Re integra, locus eſt cõſilio: conſũmata, pœnitẽtię. Vale.

Amico de ducenda uxore. 18

DE ducenda uxore maturè conſulis. Rectè tu quidē iſtud, ut omnia. eſt enim in eo diu deliberandum, quòd ſemel factum, infectum fieri non poteſt: tum facto nullus eſt locus pœnitentiæ: Cęterùm ducenda ſit uxor tibi, nec ne: id potius erit cōſilij tui, quàm uel mei, uel alterius cuiuſquam. In genere autem illud dicam: nempe, quum multa ſint in utramque partem à doctiſſimis uiris ultro citroq́ue diſputata, uberemq́ue ſummis ingenijs materiam ſcribendi præbuerint matrimoniorum uel commoda uel incommoda: tum nullum mihi conſilium in tanta controuerſia uideri ſolet præſtantius, quàm conſilium Metelli ad Quirites, his uerbis: Si ſine uxoribus poſſemus eſſe Quirites, omnes ea moleſtia careremus: ſed quum neque cum his ſatis commodè, neque ſine his omnino uiui poſsit: æternæ ſaluti potius, quàm breui uoluptati conſulendum eſt. Hæc tam breuis, tam circumciſa ſententia, facilè

com-

prehendit, quicquid uel longiſsima oratione in utramq; partem dici poſſet. Quam ſententiam ideo tibi propoſuimus, ut utra pars eius tibi uiſa fuerit potior, ac rationibus tuis accommodatior, eam deligas. Vale.

Amico de uxore deligenda. 19

QVòd ſcribis, decretum tibi iam eſſe ducere uxorem: in eo autem conſilium meum exquiris, qualem tibi deligendam putem: facis tu quidem iſtud pro noſtra coniunctiſsima neceſſitudine, proque multis inter nos, & paribus officijs amantiſsimè. Itaque illud tibi potiſsimum conſilij dederim, quod mihi datum olim certè uoluiſsé. Ergo neq; formoſiſsimam tu, neq; deformem ductam uoles: neq; anum effœtam, neque puellam immaturam poſces. In primis autem uiduam tenuem, liberos habentem (quæ prima pericula uito) caue. Illud autem ne dictum quidem oportuit, ne illam ducas, quæ aut quæſtu ſui corporis magnas ſibi diuitias pararit: aut certè cuius, uel ipſius

eiuſdem, uel matris fama ullo tempore laborarit. Poſtremò, in ea deligenda, oculis pro auribus, auribus autem pro oculis utere. Vale.

Querenti amico de uxore. 20

QVereris de uxoris inſolẽtia, & procacitate: quæ nobilitatem ſui generis iactet, dotis magnitudinem obijciat, formæ pulchritudinem oſtentet. Iſta omnia non ſpectanda ſolum, ſed etiam expectanda tibi fuerunt, quum illam duceres. Nunc ſerò ſapiunt Phryges. Leuius tamen fit patiẽtia, quicquid corrigere eſt nefas. Porrò illud ad leuandam moleſtiam nonnihil profuerit, ſi ex altera parte uxoris incommoda, ex altera uerò commoda conſiderabis. tum illud Comici tecum animo reputabis: Aut hæc cum illis habenda, aut illa cum his amittenda ſunt. Denique quando equum refractarium & calcitronem es nactus, præſtiterit, ſi poſsis molliter: ſin minus, utcunque deſcendere, quàm in præceps ferri. Vale.

Marito,

Marito, in uxorem aſperiori. 21

QVid ego de te audio? An tu propterea duxiſti uxorem, ut ipſi carnificinam, tibi ſupplicium parares? utrique uerò crucem figeres? An tu putas, quòd uocibus intonas, quòd frendes dentibus, quòd manu ſæuis, propterea illam tibi obſequentem magis, teq; illi chariorē fore? Nō eſt diuturnus officij cuſtos, metus. Duæ ſunt præcipuæ uirtutes in coniugata: Amor in uirum, & pudicitia. cum his, incommoda omnia ferri poſſunt: ſine his, nullum eſt commodum, omnia miſera, & infœlicia. Porrò amor amore, commoda tractatione, officijs elicitur, non malefactis. Amorē ſequitur cura rei familiaris, & pudicitia. Deniq; illud ſic habeto: Quòd incōmodis uxoribus utimur, noſtro plerūque fieri uitio, nō culpa uxorum. Vale.

Marito ferendam eſſe uxorē. 22

VXor tibi non negligenda, ſed diligēda: certè ferēda eſt, uel ſua ipſius cauſa, uel affinium gratia, uel honeſti reſpectu. Quòd ſi hæc minora ſunt, quàm ut

ad

ad ea uelis reſpicere: illud certè moueꝛre te debet, nimirum reſpectus & reuerentia regis, qui eam tibi efficacisſimè commendauit: nempe Dei, Regis regũ, & Domini dominantium. Vale.

Adultero uxorem caſtiganti. 23

CUm tu aſsiduè ſcorteris, abnoctes, pgræceris, nulli Veneri parcas, nullo genere libidinis aut impuritatis abſtineas: ab uxore pudicitiam requiris? Scito, aut tibi abſtinendum eſſe, aut illi ignoſcendum: aut certè in aliquam calamitatem uel alteri ueſtrûm, uel, quod procliuius eſt, utrique poſtremò incidendum. Vale.

Patri filÿs nimium indulgenti. 24

QVòd tam temerè amas filiũ, tamq; illi indulges, ut ei uel corã te, quod libet, liceat: caue ne iſta, cui nũc parcis, uirga dorſo tuo parẽtur uibices. Num te illud dictum fugit, hominis uerè ſapientis: Qui parcit uirgæ, odit filium? Profectò, ſi me audies, ſatius eſſe duces nunc eum ſolum flere, quàm uos ambos poſtmodum eiulare. Cæterùm dum

dum illum caſtigas, uide ne quid præſente illo pecces: memor illius dicti Satyrici,

Et peccaturo obſiſtat tibi filius infans.

Tũ uide, ne illud ex Comœdia in te dici poſsit: Adeon hoc tibi indignum ui detur, filius homo adoleſcens, ſi habet unam amicam, tu uxores duas? Nihil pudet? quo ore illum obiurgabis? reſpõde mihi? Vale.

In patrem aduerſus filios aſperiorẽ, ex C. Plinio. 25

CAſtigabat quidam filium ſuũ, quòd paulo ſumptuoſius equos & canes emeret. Huic ego, iuuene digreſſo: Heus tu, nunquam'ne feciſti, quod à patre corripi poſſet? feciſti dico, non, interdum facis, quòd filius tuus, ſi repentè pater ille, tu filius, pari grauitate reprehendat? non omnes homines aliquo errore ducuntur? non hic in illo ſibi, in hoc alius indulget? Hæc tibi, admonitus immodicæ ſeueritatis exemplo, pro amore mutuo, ſcripſi: ne quãdo tu quoq; filium tuum acerbius, duriusq; tractares.

ctares. Cogita & illum puerum eſſe, & te fuiſſe: atque ita hoc, quod licet, pater utere, ut memineris hominẽ te eſſe, & hominis patrem. Vale.

Filio parentis imperium detrectanti. 26

QVòd adeò parẽtis imperium ſuperbè negligis, uide quid agas, ne diui iram in te prouoces ultionẽ. Nam quũ omnia diuina & humana iura id unũ à te poſcant, exigãt, efflagitent, ut parentibus ſis obſequens, quid te futurũ cẽſes, ſi hac una in re omne ius, faſq; contemſiſſe uidebere? Quanto melius ciconia? quæ parentis ſenectam dorſo ſuſtinet, roſtro paſcit: omnia deniq; illi præſtat officia, quæ ab ipſa implumis, inuolucriſque acceperat. Vale.

Amico, quo pacto familiam in officio contineat. 27

VIn tu familiam in officio continere? eaq; cõmodiſsima facilimè uti? Da operam, ut tui te non magis timeant, quàm colant, ac diligant. Id autem fiet, ſi non

806
ſi non modò benignitatem tuam præſentem ſentient: ſed etiam ſpem habeant, ſeruitutem, atque operam ſuam nunquam apud te caſſam aut inanem futuram, ſeque in ſolum minimè ſterile officia ſua poſituros eſſe planè confidant. Interea uide, ne quum ipſe ſis ſatur, ac probè calens, ipſi fame ac frigore conficiantur. Denique incolumes, ac bene ualentes dilige, ac tuere: infirmos, ac malè affectos, ſuſtine, ac foue: illorumque imbecillitas etiam officioſiorem te in eos faciat. neq; interim eos habeas nimis delicatè: ſic & ſedulos, & tui cupidiſsimos, & nunquam in officio ceſſatores facile habebis. Quòd ſi quis tam prauo ingenio, tamque peruerſo animo fuerit, ut beneficia uel non ſentiat, uel non agnoſcat: hunc tu ſuo cædito fuſte, non tuo. Nam uerberare ſeruos, præſertim ætate adulta, cùm eſt minimè liberale, tum etiam non uacat periculo. Vale.

Seruo quid ſpectandum. 28

QVãdo uel tua ſorte, uel uitio factũ

eſt, ut ſeruias, alioqui natus liber, cui omnibus neruis erat certandum ut liber uiueres: tamen quando ita res tulit ut habeas ſeruiendū, danda tibi opera eſt, ut ſortis tuæ memineris: tum ſcias, quibus artibus id tibi pares, cuius gratia te in ſeruitutem iſtam temerè addixiſti. Duæ potiſsimum uel artes, uel uirtutes in ſeruo ſpectātur: taciturnitas, & fides. Porrò fides multa complectitur: nempe amorem in herum, ſedulitatem officij, curam rei herilis, cuſtodiam decoris atq; honeſtatis familiæ, ac totius domus. Deniq; optimus quiſq; ſeruus, ac diligentiſsimus, id in primis agit, ut herū nō minus abſentē reuereatur, quàm præſentem obſeruat, & colit. Qui enim libens ſuum officium facit, præſens abſens ſemper idem erit. Vale.

Patriſamiliás negligenti. 29

AIs te re iſta familiari ſatis commodè non poſſe agere: itaq; uelle te hortū & maceriā uenalem proſcribere. Equidem non queo ſatis mecum exputare, aut omnino rationē inire, quænā tua

iſta

iſta ſit ratio,qui quum uilla integra uix poſsis te ſuſtinere,aut tueri uitã: quomodo illa imminuta putes te cõmodè poſſe uiuere?Itaq; ſi me audies,ſatius erit id nũc te facere re ſalua,quod uoles feciſſe perdita.Deniq; quicquid facturus es, tecum etiam atq; etiam conſidera.Neque illa tantum aſpice, quæ ſunt ante oculos: ſed conſule in longitudinem. Vale.

Amico, de filio inſtituendo. 30

TVa factum eſt,ignauiam'ne, an ſtulticiam dicam neſcio, quòd filio tuo melior pars ętatis in nucibus & talis perierit:nunc,quod perfectum eſſe oportuit,uis incipere. Sera omnino deliberatio. uulgus patrum imperitorum, & ſtultarum matrum te fefellit:qui nõ iudicãt filijs eſſe diſcere incipiendum,niſi cum iam didiciſſe debuerunt. Certè ſi magnis authorib. credimus,ea puero ad diſcendas literas apta eſt ætas, quæ mammas atq; tatas nomine appellare nouit.Neque enim difficilius nominatur Deus,homo,liber, quàm coturnix,

catellus,& puppa: aut difficilius eſt dicere, puer ama uirtutem, quàm, puer da talos aut chartas. Attamen nō eſt prorſus deſperandum: modò illi adſit propoſitum, & conſtantia. Certè ad diſcendū ſatius eſt incipere tempeſtiuè, quàm ſerò: melius ſerò, quàm nūquam. Vale. Atq; audin'? Sū enim penè dicere oblitus, quod uel in primis dictum oportuit. Multo procliuius fore, ut puer tuus percipiat literas in contubernio apud aliquem doctum & probatū uirū, ubi eſt minor peccandi licentia, quàm domi apud te. Vale.

Studioſo. 31

ES tu quidem in celeberrimo totius orbis terrarum gymnaſio, ibiq; ſub præſtantiſsimis doctoribus das operā optimis diſciplinis: ubi alteri te præceptis augere poſſunt, alterū etiā exēplis. Eſt ꝑfectò iſtud aliquid, atq; adeò multū, ſub egregijs magiſtris literarū tyrocinia feciſſe. Verùm, ut ſis ſciēs, magno labore, aſsiduo ſtudio, iugi diligentia, multa uariaq; lectione, ſūmo ingenio,

firma

firma memoria, exactiſsimò iudicio, multarum,pulcherrimarumq; rerũ cognitione conſtat ſcientia literarum, diſciplinarũq; omnium profectus. Vale.

Amico, qualis eſſe debeat in amicos. 32

QVeris, qualẽ te putẽ in amicos eſſe oportere? Qualis illos erga te cupes, quos amicos exiſtimas. Hoc eſt enim totius amicitię ſolidiſsimũ, firmiſſimũq; fundamentũ. Quòd ſi plura uis, paucis accipe. Amicũ pręſentẽ reuerere: abſentẽ uel lauda, uel tuere: abiectũ erige, mœſtũ cõſolare, in neceſſatibus adiuua, in periculis ne deſere, neq; ad ea impelle. Deniq; ne illũ eò intrude, unde nõ poſsis extrudere. In his q̃ honeſta ſũt, uel uoca ceſſantẽ, uel uocãtẽ ipſe ſequere. Porrò in re turpi, aut iniuſta, neq; tu illi adſis: & quãtũ potes, ab ea reuoca. illud memor: Si amici cauſa delique ris, nullã eſſe delicti excuſationẽ. Vale.

Amico nimium credenti. 33

QVòd tam facilè credis quęcunq; circũferuntur, id potius eſt ueracis & ſimplicis, quàm callidi hominis, aut e-

tiã prudẽtis. Putas enim omnes eſſe tui ſimiles, nec quenquã ſcire alios fallere, aut mentiri: quia tu nec fallere didiciſti, nec mentiri noſti. Verùm caue, ne iſta tua credulitas tibi imponat. Etenim neque omnia, neque ubique, neque ab omnibus aut accipienda ſunt, aut credenda. Vale.

Amico incredulo. 34

QVòd nihil credis, ac neminem putas eſſe audiendum, niſi rationibus & argumentis probarit, quæ dicat, id potius uerſuti ac uafri eſt ingenij, quàm recti, aut boni. Etenim ſi nemo ſciret niſi ea, quæ tantum non oculis cernuntur, manibusq́; contrectantur, quid tandem ſciret? an non omnis ſcientia communis eſſet cum opilionibus, & bubulcis? Certè maxima pars eorum quæ certiſsima & maxima ſunt, potius credenda ſunt, quàm quærenda. Hinc illud dictum diuinitùs: Noli altum ſapere, ſed time. & rurſus: Beati qui non uiderunt, & crediderunt. Vale.

Aſſen-

Aſſentatori. 35

PRæſentem colis, abſentem carpis. Non poteras apertius declarare, uel me eum eſſe, quem tu pręſentem reuereare: uel te talem, ut nõ poſsis bonis uiris abſens nõ malè dicere. Sed cũ uterq; noſtrûm optimè ſit notus, non poteras neq; teipſum magis traducere, quàm cum de me obloqueris: neq; maiorem à me inire gratiã, quàm cũ id in me facis, quod in omnes bonos. Vale igitur amice optime.

Superbo potenti. 36

PVtas, quia te homines timent, te alijs eſſe pręſtabiliorẽ? longè falleris. Ita enim & feræ, & cacodemones, te multo eſſent præſtantiores. Itaque tibi tanquam ex Apollinis tripode illud dictum puta: Charum eſſe ciuem: bene de Repub. mereri, laudari, coli, diligi, glorioſum eſt: metui uerò, & in odio eſſe: infirmum, deteſtabile, imbecillum, caducum. Vale.

Superbo ignobili, & obſcuro. 37

VIdeo te ſuperbiorẽ factũ nulla alia re

magis,quàm incogitantia.Nam ſi in teipſum deſcenderes,& quis, & unde nã eſſes conſiderares: haud aliter criſtas demiteres, quàm gallus deuictus. Hoc igitur fac,& uiues.Vale.

Superbienti de naturæ dotibus,atq; arroganti. 38

TVmes,inflaris, turges de opibus,de pulchritudine,de nobilitate.non iſta tua ſunt propria:ſed partim naturæ, partim etiam fortunæ. Tunc enim tua eſſe dicam, teq́ue ſuſpiciam, quum ijs rectè utére. Interim uide, ne non tam ſis honore dignus, quia nobilis: quàm contumelia,quia notus. Vale.

De *ingenio ſuperbienti.* 39

INgenium iactas, quo te multa quidẽ aſſecutum agnoſcis. Sed ea multo infra dignitatem tuam exiſtimas. Hæc eadem quæ tu poſsides,ſi alijs uel multo te dignioribus, & præſtantioribus contingerent,clamares,illa eſſe multo ſupra illorum merita: quæ infra uirtutem tuam tibi eſſe uidentur.Iſtud nulla ex alia re obuenit, niſi ex liuore & maleuo-

leuolentia, quæ ſuperbiam comitantur. Vale.

Inſolenti ob diuitias, & elato. 40

AVdio te ſtultè nimis, atq; ineptè de diuitijs gloriantem. Nihil eſt cur id facias. Vſus enim diuitiarum, non ipſæ diuitiæ ſpectandæ ſunt. Quòd ſi rectè ijs utêris, ad beneficentiam & liberalitatem (ut qui intelligas ea non à Deo eſſe facta in tuum unius cómodum, ſed in commune omnium: teq; illorũ, quæ poſsides, eſſe miniſtrũ, ac ueluti promũ condũ, non dominũ) bona hercle ſunt: ut quæ id præſtent, ut ijs deducere in actum uirtutem ac liberalitatem tuam poſsis. Sin autem ita poſsides, ut putes ea tibi uni eſſe data, ut uel miſerabiliter cuſtodias, imitatus gryphes ac formicas Indicas: uel turpiter profundas, ut nepos, in ſcorta, exoletos, lupas, in ſcurras & pantomimos, aut etiam in ſicarios, & ſcelerum tuorũ fautores atque adminiſtros: multò ſatius foret, pauperem eſſe te, quàm talium diuitiarum iniquiſsimum poſſeſſorem. Vale.

Luxurioſo 41

QVòd ais maiores noſtros neſciſſe uiuere, quòd nimium circũciſè perparceq́; uitam agerent: nos uerò nunc demum reperijſſe, atq; adeò aperuiſſe uiam ad lautè, opiparè, ſplendideq́; conuiuandum: equidem uereor, ne toto erremus cœlo: nobisq́; inaniter, ſtulteq́; blandiamur. Certè illud inter omnes ſapientes conſtat, Imperia & ſectas ijſdem artibus retineri, quibus ab initio parta ſunt. Quod ſi hæc reſp. atq; hæc maieſtas Imperij luxu, alea, pergrętcationibus creuit: id demus & nos operam, ut neque Tarentinis, neq; Sybariticis delicijs, menſis'ue Siculis inferiores ſimus. Sin autem fides, iuſtitia, probitas, labor, induſtria, frugalitas, parſimonia has nobis opes, potentiamq́; peperere: inſiſtamus & nos eandem uiam, quam maiores noſtri ſapientiſsimi homines inſtitere. ſic & eorum gloriã tuebimur, & noſtram non amittemus. Vale.

Nobili inſolenti. 42

PVtas, ob diuitias & nobilitatem tibi

omnia licere. At ego illud Comicũ tibi etiam atq; etiam conſiderandum puto: Quàm uos facilimè agitis, quàm eſtis maximè potentes, dites, fortunati, nobiles: tam maximè uos æquo animo ęqua noſcere oportet, ſi uos uultis perhiberi probos. Vale.

Guloni. 43

NEſcio quæ te agitent intemperiæ, qui nihil aliud cogites, quàm patinas. nil crepes, nihil ſomnies, niſi fercula, dapes, obſonia: deniq; popinas, & ganea. O te miſerum, ac perditum, ſi non ſentis, quò te gula iſta ſit perductura. ſed multo miſeriorem, ſi ſentis, neque abſtines: longè uerò miſerrimum, ſi nõ modò non abſtines, neque proſpicis quid te futurum ſit, uerùm etiam ſi in eas te anguſtias & neceſsitatem compuliſti, ut putes te non aliter poſſe uiuere, niſi cibo infercias, crapula ingurgites, epulis diſtẽdas, uino obruas. Luxũ iſtum & intemperantiam, malorum omnium fomitem, ſequitur libido: libidinem petulantia, & profuſio: profuſionem

nem paupertas, & infamia: neque id modò, uerùm etiam diſſolutio membrorum, & fractio totius corporis. libidinoſa enim & intemperans adoleſcentia, effœtum corpus tradit ſenectuti. Vale.

Prodigo profligato. 44

QVæ'nam eſt iſta tam progidioſa luxuria? tam portentoſa profuſio? tã perdita largitas? tam importuna prodigentia? Quàm diu putas patrimonium iſtud tibi ſuffecturum? An credis, ſi libidini, ſi uolúptati laxare frena perrexeris, tibi defuturas in ſingula momenta occaſiones, quæ te ad perdita conſilia uocent? luſus, aleæ, ſcorta, comeſſationes, pergræcationes, popinæ, ſodalitates perditæ: quæ te ructantem, & nauſeantem, ad extremam miſeriã pertrahant? Non unius hominis patrimonium, quantumuis amplum, ſed prouincias & regna tanta mehercule nequitia deuorare, abſorbere facilè ac breui poſſet, Memento Apitij, ac Phoci: quorum uterque pari luxu ex amplisſimis patrimonijs

812
trimonijs deuoluti, ad ultimam calamitatem ac deſperationem redacti ſunt. Id ne tibi accidat, illud Epicteti Stoici ne te fugiat: Suſtine, & abſtine. Vale.

Prodigo ingrato. 45

SArdanapalum, ac Midam, ob diuerſa, imò contraria uitia, deteſtata eſt antiquitas: omnis ætas, omnia ſæcula ſunt execrata: illum, quòd eſſet luxu perditus, ac in uoluptates adeò proiectus, ut haberetur quauis muliere corruptior: hunc uerò, quòd tam ſui tenax, alieni appetens, & rapax eſſet, ut ſuo met deſiderio dicatur perijſſe: quippe cui obſonia ex uoto in aurum conuerſa, copiaque in inopiam mutata, eum fame confecerint. Rides? De te fabula narratur. Tu enim ex iſtis duobus monſtris conflatus eſſe diceris. Certè illud conſtat, te ad tua commoda & uoluptates nulli rei parcere, nihil penſi habere: cæterùm undique inclementer rapere; quod

quod congeras in tuum alueariũ: tum nulli bono uiro, quantumuis de te merito, ne fruſtum quidem panis imperti ri: immò quod his debes, in ignobiles, ac perditos homines, in Gnatones, & Phormiões potius profundere, in puppos & puppas, quàm quicquam ijs dare, quo frigus à ſe duramque famẽ poſſint expellere: & poſtea te uẽditas pro liberali. ſic ſimia eſt homo: ſic pica mulier. Vale.

Amico, de diuite auaro. 46

Rſi nuper, quum uiderem aſinum opiparis obſonijs onuſtum, rubos, caricasq; depaſcẽtem: ſubijtq; mihi protinus amicus ille, noſti quem dico. Illudq; mecum tacitus: O utinã ſic ſint, qui mihi malè uolunt. Interim habebãt ſimiles labra lactucas. Vale.

Auaro odioſo. 47

QVereris, quòd nemo te amet, nemo ſaluum uelit: omnes interitum tuum cupiant, mortem expetant, exitiũ imprecentur. Quid hoc mirum? Quid enim aliud facit auarus diues, dum ui-

uet,

uet,niſi hoc unum:ut omnes illũ mortuum malint,quàm uiuum? Hoc certè habes commune cum ſue: cuius uſus nullus eſt,niſi extincti. Ad eliciendum amorem una eſt uia,ut ames. Miraris igitur,

—Quum tu argento poſt omnia ponas,
Si nemo præſtet,quem non merearis,amorem?

Vale.

Auaro expilato. 48

QViritaris,clamas,uociferaris, cœlũ terræ miſces,quòd ſis expilatus. Quid refert,habeas,nec'ne,rem,cuius uel poſſeſſæ, uel amiſſæ, idem eſt uſus? Claude capſas,occlude oſtia, ſigna loculos carbone aut cinere oppletos: ac tecum reputa,ære,argẽto,auro plenos eſſe:& nihil amiſeris.Vale.

Pſeudolo. 49

QVum aſsiduè fallas,decipias, imponas,circumuenias,in erroré & fraudem inducas:technis,dolis,ſycophantijs,impoſturis,periurijs,malis artibus rem agas: ſolicitando & pollicitando animos hominũ lactes:quereris, quòd malè

malè audias: mirum ni bene. Sed iſtud ne fiat, illud remedio eſt, nempe talis ut ſis, qualem te haberi cupis. Itaque obtrectatoribus os obturabis, eosque uel tacitus mendacij conuinces. Expeditiſsimum enim ad bonum nomẽ iter eſt, bene uiuere. Vale.

Mendaci & uano. 50

DOles, quòd nemo tibi, uel uera dicenti, credit: iſta eſt pœna ſedulò mentientium. Aut enim uanum te, aut mendacem eſſe oportet, cui nemo credat. Porrò uanus is eſt, qui affirmat ea quæ neſcit: neq; conſiderat qualia ſint: & an ſint, nec ne: & fieri poſsint, nec ne quæ dicit. Mendax uerò is dicitur, qui uel affirmat, quæ ſcit aut non eſſe, aut non ita eſſe: uel negat, quæ ſcit eſſe: aut calumniatur, aliter quàm ea ſint ſeſe habere. Vtrumque peccatum graue: ſed poſterius pœna dignum maiore. Atqui nonnulli ſibi uidentur ingenioſiores, quòd incautis & ſimplicibus imponunt. Qui ſi de hoc ſibi placent, pariter

ter ſciant ſeſe ſimiliores eſſe dæmonibus, quàm angelis. illi enim & fallere ſciunt, & quotidie fallunt: hi uerò neque fallere ſciunt, ſi uelint, neq; etiam ſi ſciant, uolunt. & tamen quanto ſunt Angeli dæmonibus ſapientiores? Si uis igitur tibi credi, aſſueſce illa tantum aut affirmare, aut negare, quæ noſti ſic eſſe: reliqua neque aſſeueres, neque oppugnes. Ita enim, cùm credentur quæ dices: tum ipſe non modò non uanus, aut mendax, uerùm etiam uir bonus & uerax ab omnibus iudicabere. Vale.

Amaſio remedium amoris. 51

QVòd tam impotenter puellam iſtã deperis, ut facilius te de uita pelli, quàm ab eius amplexu diuelli poſſe affirmes: communis tibi morbus iſte cum omnibus perditè amantibus. Amor, inquit ille, animi arbitrio ſumitur, non ponitur. Item alibi: Amor elabi poteſt, extrudi non poteſt. Ita ferè ſunt omnes uehementiores animorum affectiones. Verùm tamen omnia ſunt

ſunt eiuſmodi, ut humanæ tandem uoluntati, arbitrioq́; noſtro ſubiecta ſint. Nihil enim difficile uolentibus. Quamobrem ſi ſanari morbo iſto ex animo cupis, iam tu planè priſtinæ incolumitati redditus es. Multa ſunt autem à ſapientiſsimis uiris, ad expellendum hoc malum, excogitata remedia: ſed nullũ meo iudicio, efficacius, quàm ignaui ocij fuga, & ſtudia ſacrarum literarum. Senſit hoc idem pertinaciſsimus pudicitiæ cuſtos Hieronymus, qui hãc rem tractans: Ama, inquit, ſciẽtiam ſcripturarum, & carnis uicia nõ amabis. Tum ille, quit ait:

Ocia ſi tollas, periere Cupidinis arcus.

Vale.

Detractori. 52

AVdio te in exiſtimationem meã paſſim debacchari. Si id merito meo facis, iraſci tibi non debeo: ſed mihi potius, qui tibi occaſionem præbuerim in me inuehendi. Sin animi uitio inſeruis: mihi mea ſatis eſt innocentia, te tui mores probè ulciſcentur, qui quidem

abundè

abũdè pœnarũ de te mihi dabũt: quod tamen ut cupiam, Dij prohibeãt. Vale.

Auaro, de amicis ingratis querenti. 53

Nihil aliud quàm quereris de amicorum, ut ipſe ais, ingratitudine: non æquum facis. Nam qui potes de illorũ ingratitudine conqueri, quos tu immi ſericordia, duritia, tenacitate ingratos facis? Te ipſum prius dãnes, quàm illos accuſes, neceſſe eſt. Da igitur (ſi ſapis) quod doleat, ſi uis quod placeat. Vale.

Seipſum nimium amanti. 54

QVòd teipſum amas, minimè id quidem miror. eſt enim omnibus à natura inditus amor ſuijpſius: ut uidelicet quiſq; ſeſe, corpusq; tueatur. At uerò, quòd tam tenerè te amas unum, ut reliquos omnes negligas: id planè eſt teipſum odiſſe. Nam qui neminem diligit, hoc agit, ut à nemine diligatur: quod qui facit, eſt ſuimet prorſus inimicus, ac proinde ſtultus. Vale, & ſape.

Inuido. 55

MIraris, quũ tu omnib. inuideas, neminẽ tibi inuidere. mirari deſine.

tu enim illos fœlices, illi te miſerum eſſe iudicant. Quòd ſi morbo iſto, qui te aſsiduè macerat, ſanari cupis: talis eſſe ſtude, quales credis eos eſſe quibus tu inuides. quòd ſi id non potes, ſaltem te illorum ſimilem finge. Quod ſi ne id quidem datur, puta illos eſſe tui ſimiles: hoc eſt, miſeros & calamitoſos. Neque enim aliter inuidi ac maleuoli animus quieſcit, niſi quibus inuidet, eos uideat ad miſeriam redactos. Sed multo præſtat, tibi uni malè eſſe, quàm omnibus. Viue igitur diu talis, quales eos eſſe uelles, quibus tu inuides. Vale.

Iactanti ſua. 56

QVæ'nam eſt iſta in cõmemorandis, iactãdisq; dotibus tuis, tã inſolens oſtẽtatio? ſolus'ne tu diues? ſolus pulcher? ſolꝰ nobilis? ſolus eruditꝰ? ſolus ſapiẽs? imò ſi ſaperes, aut certè ſi uel micã haberes ſalis, cogitares quàm fluxa iſta ſint omnia, quàm caduca, quàm lubrica, quàm fragilia, quàm deniq; ſtulta & inania. Quamobrẽ caue tibi ab interno hoſte, nẽpe ab amore tui ipſius: qui

quidem

quidé ut eſt admiſtus ignorantia, excę-
catur: efficitq; ut noſtra nobis rara, ex-
quiſita, ſingularia, inimitabiliaq; eſſe
uideátur. aut certè talia uideri alijs cu-
piamus, quod eſt proprium uanitatis,
atq; ſtultitiæ. facit enim homines inui-
dos & maleuolos, eoſdemque odioſos
& intolerabiles. Vale.

Superbo, dominationē affectanti. 57

VIdeo quid agas. Cupis Deo ſimilis
fieri: non quidem bonitate & ſapien
tia, ſed potentia & magnitudine. Itaq;
uis uideri te nullius indigere, multos
tui. Te nulli eſſe inferiorem, tibi quam-
plurimos: neminé tibi auxilio eſſe poſ-
ſe, te omnibus. Quamobrem, ut homi-
nes magnitudinem tuam intelligant,
componis uultum non ad amorem, ſed
ad terrorem: iactas diuitias, oſtentas o-
pes, obtendis nobilitatem & potentiá,
non in utilitatē aut commoda illorū in
quos hæc intendis: ſed ut eis ſub te ſtra
tis, ac procumbentibus, per eorum
dorſum aſcendas, per colla & harmos
ſeſe ſubij cientium tibi aſcenſum pares.

Quod ſi quis ſaniore conſilio ductus, amantibus monitis tibi ſeſe opponat, erroris ac fraudis admoneat: in hũc tu Salmonei more intonas, omnia indignationis fulmina intorques. Tũ ſi nõ ea quę ſtultè moliris, ad uota ſuccedũt, Dij ueſtram fidẽ, qui terrores? quæ minæ? quæ in Deum conuicia? quæ in homines inſolentia? quæ immanitas? quæ ſæuitia? Hęc porrò mentis præcipitantia nõ te ſinit expendere qui ſis, aut unde ſis, aut quid tibi uelis. Neque conſideras, bona illa, quæ te ſuccendunt, ac ueluti tormẽto rotant, à quo ſint: neq; quis, aut qua ratione tibi tribuerit, in animo tuo reputas: nihil cogitas, nihil de Deo ſuccurrit animo. Quin tua uirtute ſolertia, induſtria diligẽtia, merito tuo illa paraſſe te exiſtimas: quo nihil ſceleratius, aut impium magis dici aut fingi poteſt. Iſtud nimirum fecit Caligula cum Ioue Olympico, & cũ Neptuno ſimultates exercere. Iſtud fuit in cauſa, cur Domitian⁹, Dominusq; Deusq; noſter diciuoluerit: cur Alexãder Iouis filius

filius haberi optauerit. Sed exitus eorũ fœdus & calamitoſus, facilè oſtendit, qualis ea fuerit potentia, quam tu affectas. Certè tibi ſatius fuerit, quorum facta imitare, eorũ exitus perhorreſcere. Porrò illud Satyricũ tibi dictũ puta:

Ad generũ Cereris ſine cæde et ſanguine pauci
Deſcendunt reges, & ſicca morte tyranni.

Critico nihil ſcribenti, & omnia carpenti. 58

QVum tu nihil omnino ſcribas, nihil aliud quàm ſcribentibus oblatras, improba ſapientia: qui quum ipſe nihil des in lucẽ, quod ab alijs iudicari poſſit, quaſi nouus Ariſtarchus, ſumpta cẽſoria uirgula, de aliorum ingenijs ſententiã feras. Sed non impunè, crede mihi, elaberis. Nam licet nemo de ſcriptis tuis iudicet, iã de animo & ingenio tuo factum eſt à bonis iudiciũ, qui aiũt, iniuſtam te laudẽ aucupantem, in iuſtam infamiam incurrere. Certè illud paſsim de te iactatur: nempe abs te nullo alio cõſilio id fieri, niſi ut tu ſolus ſapere uideare: compendioſa quidem ad plau-

cit, qui uincit: ſed redditur uictoria, eaq́ue ſæpe falſa, non melior, ſed inſolentior. Vale.

Sophiſtæ nihil ſcribenti, ſemper diſputanti. 60

MIrabar te, quum tam eſſes acutus in diſputando, nihil omnino ſcribere, nihil mãdare literis, quod alijs uel utilitati, uel oblectationi, tibi laudi & ornamento eſſe poſſet. Sed iam non miror, ex quo legi apud doctiſsimum uirum M. Fabium Quintilianum, quoſdã in diſputando mirè calidos, cum ab illa cauillatione diſceſserint, non magis ualere in aliquo grauiore actu, quàm paruula quædam animalia, quæ in anguſtijs mobilia, campo deprehenduntur. meritò itaq; campum timent: diuerticula & anfractus, ſuffragia infirmitati ſuæ, quærunt: ut quæ curſu, aut uiribus parum ualent, flexu eludant. Hæc te ſcire uolui: ne ob friuolas argutias & cauilla tibi nimium placeres. Vale.

Inuidioſus correptus. 61

INuidia flagrare me ſcribis. Alienũ iſtud uitium eſt, non meum. aufer inuidos, & ipſe non ero inuidioſus: quos quidé mea bona fortuna potius, ipſorumq́; malum ingenium, quàm ullum meum uel factum, uel meritum, mihi fecit iniquiores. Verùm quid illis facias, qui quum ipſi ſint nequam ac perditi, neque ſit illis facile unde ſe ſuſtentent, calamitatemq́; ſuam tueri poſsint, eo animo in bonos inuehunt, ut uel alicuius ipſi momenti eſſe uideantur: uel certè ſuam miſeriá atq; egeſtatẽ, uti canes eiecti oblatrãdo, ulciſcãtur? Vale.

Inuidioſo. 62

VTinã tam facilè te corrigere potuiſſem, quàm meritò corripui. Dicis enim te ob id ardere inuidia, quia ſis opulentior. Quin iſtud erat cauſę, cur potius gratioſus eſſes, quàm inuidioſus. Quòd ſi tam uſum diuitiarum haberes, quàm diuitias habes, imò enimuero illæ te habent, non diceres tibi inuideri: ſed potius uideres te obſeruari, coli, diligi.

ligi. Etenim diuitiæ, qui rectè ijs utitur, fomentum amoris, cultus, obſeruantiæ ſunt ei: non inuidiæ, aut odij. Nunc uerò quum diuitem te nemo diligat, omnes oderint: facile potes colligere, quantum tibi afferant utilitatis diuitię, quibus uti neſcis. Vſus enim diuitiarũ, non diuitiæ ſpectandæ ſunt. Vale.

Zoilo, aliena ſcripta temerè uellicanti. 63

SI eo animo atq; conſilio in manus mea ſcripta ſumpſiſſes, ut ex ijs aliquid diſceres, aut certè intelligeres: neq; mihi moleſtus fuiſſes, & tibi melius conſuluiſſes. Nunc autem, quum eo animo ea legeris, ut inde aliquid, quo iure, quaq; iniuria, quod uellicares, excerperes, muſcas uidelicet atq; inſecta quædam imitatus, quæ in corpore affecto ulcera, in integro ac uegeto humidiora quæpiam ſemper requirunt ac petunt: propterea & mihi ſcriptionis fructus, & tibi lectionis perijt: mea tamen leuior iactura, quàm tua. mea ſiquidem in alijs benignioris inge

nij,ſaniorisque iudicij reſarcietur,fructusq; mei laboris mihi facile conſtabit:tu,niſi corrigis animi uitium, nihil proficies.Eſt enim dictum Sapientis:In animam maleuolam non ingredietur ſapientia. Vale.

Iracundo. 64

QVemadmodum ſunt quædam corporum ægritudines,quæ, niſi principijs obſtes, fiunt lethales, aut diuturnæ,aut etiam inſanabiles:ita & animorum pleriq; ſunt morbi.Porrò in corpore ſunt pleureſes, & glandulæ: quibus niſi ſtatim opportunis remedijs occurras, hominem iugulant. Cacoethes,& canceres,manus adhibentium remedia fruſtrantur.Certè podagræ nullum adhuc remedium inuentum eſt:præter illud unum, ut ubi primùm quis ſeſe petitum podagra ſenſerit, abſtineat uino & Venere in annum.Quod quidem remedium nos olim ex authoritate Cornelij Celſi experti,ſummopere probauimus.Nullum enim poſtea per totam ui

tam

tam ex ea re incommodum ſenſimus. Idem uſuuenit in morbis animi, cuiuſmodi uel in primis eſt iracundia: cuius te natura obnoxium eſſe magnopere cùm intelligo, tum tua cauſa doleo. Huic igitur peſti (quam quidem breuẽ uel furorem, uel inſaniam eſſe dixerũt) hoc ueluti antidoto occurras licebit, hoc pacto: Nẽpe, quum animo es tranquillo, ac ſedato, cogita, nunquid unquam quicquam iratus feceris, dixeris've, cuius te poſtmodum pœnituerit. Tum tecum reputa, ſtultum eſſe, toties ad eundem lapidem impingere. Certè ille ſenex Terentianus exemplo tibi eſſe debet: qui officium petiturus, ita ſe præmunit, ac ſecum prius deliberat: Videndum eſt (inquit) ne minus propter iram hãc impetrem, quàm poſsiẽ: aut ne quid faciam plus, quod me non feciſſe ſatius ſit. Porrò quod dixi de iracũdia, idem ſentio de reliquis animi morbis, amore, ambitiõe, ſed in primis auaritia: q̃ ſi cũ homine adoleſcat, prius eũ ſtrãgulet quàm deſerat. Ideo iubemur

bemur diuinitùs,illidere filios Babylonis in petrã. Quod ſi horum etiam uerborum expoſitionem requiris, ea ſic habet,uel D. Hieronymo interprete:Nẽpe paruuli Babylonis,inquit, ſunt confuſæ mentis cogitationes, quum primũ uidelicet in mente oriuntur:quę illidendæ ſunt ad petrã:qui eſt CHRISTVS IESVS,qui te incolumem ſeruet.Vale.

Amico,de diuite auaro,literarum profeſſore mortuo. 65

TAndem hodie uidi ſenem auarum, ſatis auri habentem, ſed mortuum. Vt illud ſanè meritò de illo dici poſſet, quod olim Didacus Hiſpanus de ruſtico aquis extincto,ac turgente: ſeſe utique nunquam uidiſſe ruſticum aquã ſaturum,præter hunc ipſum, qui ſic perierat.Et profectò ſic eſt. Multos inuenias in uita,qui nimium habeant:paucos,ne dicam neminé, qui ſatis. Certè is plus erogauit pauperibus uno die mortuus, quàm annis ſexaginta uiuus. Cæterùm ille felix eſt,qui malo alieno ſapit. Hic per totam uitam oculis clauſis aliorum

ſeſe

ſeſe ducem præbens, tota errauit uia: id quod finis ipſius fabulę facilè oſtendit. Itaq; tu iſtorum diſce exemplo, quæ facta ſequaris, quæ fugias. Vale, ac minuti authoris magnum conſiliũ ne deſpice.

Amicitiæ iura labefactanti. 66

QVeſtus eſt apud communes amicos hodie de te Aurelius: quos omnes ferè à te abalienauit, quòd diceret, quę ille tibi ſecretò cõmunicarat, quęq; in primis & ille celata uolebat, & te idem uelle æquum erat, ea te omnia ob leuem animi tui offenſiunculam ſibi factum iniquioré, inimicis ſuis prodidiſſe. Quo facto, te & oblitum humanitatis, & corruptorem amicitiæ, & communis uitæ iura labefactantem, omnes uno ore conclamarunt. Itaq; uide, dum inaniter animi dolori mederi ſtudes, quantum labis moribus tuis aſperſeris: quantum denique hominum odium tibi contraxeris. Profectò illud te meminiſſe oportebat: *Commiſſumq; teges & uino tortus, & ira.* Vale.

Ioan.

IO. IVSTINIANI EPIſtolæ Declamatoriæ.

Ioan. Iuſtinianus pro Gallo adoleſcente, Deprecatoria. I

VEl cum meo ipſius interitu potius, quàm cũ ea fortuna quę nũc mea eſt, uellẽ de me tã triſtem nunciũ acciperes: in qua mehercule uel arcẽda, uel declinanda, ſi quid aliunde mihi opis eſſet, ac nõ omnia mea præſidia, ſpes, opesq́; omnes in te uno poſita haberẽ, equidẽ ab hac moleſtia tibi obijcienda ſanè quàm libẽs abſtinuiſſem. Neq; enim eram neſcius, cùm pro mea in te obſeruantia, tum tua in me, patremq́; meum beneuolẽtia, quàm id grauiter laturus eſſes. Verùm neceſsitati, cui ne Dij quidem ipſi repugnant, parendum fuit. Ad hæc inuitauit me etiam tua ſingularis humanitas, atque in omnes, ubi id datur poſſe, beneficẽtia: qua fretus, ad te planè confugio, & ſupplex benignitatẽ tuam imploro. Ac ne te diutius ſuſpen

ſum

ſum teneam, illud ſic habeto. Patrem momento temporis ita eſſe à me abalienatum, ut omnem de me abiecerit animum patris: haud aliter ſanè, quàm ſi uel patriam hoſti prodidiſſem, uel ipſi denique uenenum paraſſem. Atqui fortaſſe commerui. non equidem inficias iuerim, quin aliquid fuerit eiuſmodi, quod animum ipſius pupugerit. Sed id quicquid fuit, aut ætatis fuit uicium, atq; earum rerũ quas fert adoleſcẽtia: aut certè id accidit, quòd nunquã futurũ putaui, ut quos uel lõga ætas, uel uſus rerũ atq; experientia ſatis docuiſſet, iſti adoleſcentiũ lapſus tam iniquo animo ferrent, ut etiã paterni nominis obliuiſcerẽtur. Quid iſtud inquies? Rectè ſanè mones. Agitur annus fermè, quũ puellã, uirginem in primis nobilẽ, &, ſi quid hoc ad rem, etiam formoſam peregrè adamare, cumq; ea tandem habere conſuetudinẽ cœpi. Hoc pater ubi reſciuit, primò leuiter ferre, diſsimulare etiã: deinde ubi uidet me ad eã ſæpius itantẽ, diutius foris agere, idq; ratus

fieri

fieri non poſſe citra & rei familiaris iacturam,& ſine aliquo uitę periculo: primùm monere ne id agerê, ſuadere, hortari: grauius etiam accuſare, obiurgare: deniq; minari, ſi ad eam poſthac accederê: poſtremò, ubi uidet id à me fieri ægrius, neq; me pati poſſe puellæ adamatæ deſſuetudinem, domo expulit. Quod, quum illi poſtmodum feciſſem pœnitētiæ fidem, facile ignouit, meq́; in priſtinum ſtatum repoſuit. Hactenus omnia leuia,& comica: at quæ ſequuntur, grauia, & pluſquam tragica. Nam quū ego aliquot mēſes in officio fuiſſem, ut qui obſtinaſſem animo omnia potius perferre ac pati, quàm uel pilū ab ipſius imperio diſcedere: tandē unis atque alteris puellæ literis admoneor, eam uterum ferre: quod ſi ſui reſciſcerēt, id ſibi extremum apud uiuos fore. proinde orare, obteſtari, ne ſe in uitę diſcrimine relinquerē: me ſibi amicum, amatorem, tutorem, patrem: meminiſſem fidei toties datæ, me nunquā ſe deſerturum: ne igitur in tantis malis

deiectam

deiectam iacere permitterem. quod ſi ſui rationem habere nollem, ſaltem ute ri haberem: quòd iam ipſa nec celare poſſet, nec id abijcere ſuſtineret, quod ex me eſſet conceptum. Quid quæris? his precibus fatigatus, cum hinc me pa tris reuerentia, hinc miſericordia huius diuerſum traherent: atq; hinc honeſtas, illinc utilitas diſtraherent, raperent: facere dãnoſè, quàm id ferre turpiter malui. Quamobrem inita ratione, qua id quàm cõmodiſsimè, nec minus tamen tutò fieret, eam domo materna educendam curaui. quod equidem eo conſilio feci, ut partu ſolutam ſuis redderem, ac reſtituerem: quod non erat factu diffici le, delinitis tempore animis: matris prę ſertim, quæ uel deſiderio filiæ ſibi aliàs chariſsimæ uicta, uel ipſius tandem prę cibus & miſericordia mota, non erat alienum, fore ut eam non ſolum oblatam reciperet, uerùm etiam abſentem requi reret, inuentam etiam cupidè recupera ret. Verùm ubi pater audiuit, me illi do mum conductam paraſſe: hoc eſt, tugu-

k riolum

riolum quoddá ei proſpexiſſe, ubi uteri onus poneret:ſic omni irarũ æſtu incáduit, ut nulls Veſęuus, nulla Aethna liberiores, magis'ue concitas flammas excitet.idq; pręſertim,ubi reſciuit,me neſcio quid ſtragulæ ueſtis cum lectulo domo abſtuliſſe, quo illa utiq; honeſtius ageret.nam,quam in fidẽ recepiſſem meam,nõ æquũ uidebatur, ut eam humi iacentẽ uiderem:neq; interim mihi erat, ut aliunde illi neceſſaria proſpicerẽ:quod ſi fuiſſet, nihil habuiſſem antiquius,quàm ab omni re domeſtica,paternaq; abſtinere. neq; uerò eram neſcius,quàm id ille grauiter laturus eſſet: uerùm nunquã futurũ exiſtimaui,ut adeò ſeſe iracundiæ abripiendũ permitteret,ut paternæ charitatis etiam obliuiſceretur.Hoc illud fuit piaculũ, hæc impietas,hoc meũ nullo ſulphure aut tædis expiandũ ſcelus:quo ſic pater in unicũ filium cõmotus eſt, ut me nullis nõ cõuicijs ac probris inceſſens,domo expulerit:atq; eo ſanè pacto,ut nullum poſthac ad ſeſe mihi reditũ patêre uelit.

lit. Cauſas autẽ huiuſce tã concitæ in me iracundiæ, illas nũc potiſsimũ adducit, quòd ſua monita contempſerim: quòd ſuã authoritatẽ pro nihilo habuerim: quòd ſe inconſulto id fecerim. quẽ ſi antea conſuluiſſem, (ait) aut id à me nunquam factũ fuiſſet, aut certè puellę multo melius proſpectum eſſet. Equidem ſi hac tota in re erraſſe me negem, non id planè faciam, quod cogitabam, cum primùm hás ad te literas inſtituebam: quas non in aliud ſanè ſcribendas ſumpſi, niſi ut & meipſum accuſarẽ, & à patre ueniam peterem: poſtremò, te ut ad eam impetrandam Patronum atque aſſertorẽ mihi pararem. Verùm enimuero illud mihi uideor poſſe, ut uerè, ita etiam honeſtè dicere: tantum abeſſe ut illius authoritatem aut monita cõtempſerim, ut etiam nihil unquam habuerim antiquius, quàm ut eius dicta, nutus denique omnes ita obſeruarem, ut ſi à Deo quopiam profecta eſſe intelligerem. Neq; ſolum eum recta monere intelligebã: ſed etiam ex me ipſo

apertè quid facto eſſet opus uidebam. Verùm longè aliud eſt, quid faciendũ ſit perſpicere amantem adoleſcentem: aliud, facere quod is perſpexerit. Video (inquit amans apud Poetam) me liora, proboq́;, deteriora ſequor. Cæterùm puella delicatior, & quæ ne cogitatione quidem aſſueuiſſet his malis, ubi me uidet domo patris eiectum, in ſordibus & ſquallore degere: idq́; ſua ipſius cauſa factum animaduertit, animo defecta, in febrem incidit: qua iam ipſos uiginti dies ſic afflictatur, ut medici, & qui ægrę ipſi aſsident, de illius uita cogantur dubitare. quod quidem incómodum nec me ipſum reliquit intactum: quippe qui ardentiſsima febre correptus, coactus ſim etiam grauiſsimè decumbere. porrò accitis medicis, adhibitisq́; opportunè remedijs, ipſe meliuſculè habere cœpi: hodieq́; primùm ſtratis erepſi, uixq́; dum ſatis ad ſcribendum, aut quicquam omnino ſerium agendum confirmatus, hæc ad te utcunque ſcribenda eſſe duxi: quibus
ab

825
ab humanitate tua etiam atque etiam peto, rogo, obſecro, obteſtor, ut meam uicem doleas, atque inopis te miſereſcat mei. Scio te cùm gratia apud omnes, tum apud patrem meum, authoritate etiam plurimum poſſe: quod ab illo omnibus alijs uel precibus impetrare, uel argumentis euincere, uel rationibus perſuadere eſt difficile, tibi uni uel nutu obtinere eſt facilimũ. Nihil eſt, quòd illi authoritas tua præcipere atque imperare non poſsit, nihil quod ille tibi negare ſuſtineat. Neque tamen quicquam eiuſmodi ab eo petimus, quod pater quiſquam nõ inhumanus ulli filio ueniam petenti perneget. Vitam enim quam ab eo accepimus, ab eodem ſeruatam cupimus: idq́ue nullam aliam ob rem magis, quàm ut ipſi aliquãdo bonos, ac ſibi morigeros nos fuiſſe poſsit cognoſcere. quod ille nũc fortaſſe non credit fieri poſſe: uerùm ſi permiſerit, re ipſa olim profectò experietur. At quo pacto uitam inquies? Nẽpe illo, ut ne illã mihi ꝫripiat, quá ſemel

 dedit.

dedit. Poteſt ille quidem id facere ſuo iure: uerùm mitis & clemens pater, nõ debet uelle omnia pro ſuo iure agere. alioqui, quin is me uel ferro perdit, uel ueneno de medio tollit? uel quouis modo abſumit? uitaq́; quam dedit, palàm diſpoliat? Quòd ſi facere id nolit, quia graue, impium, intolerandum, barbarum, patre denique indignum uideri queat: cur uitam it ereptum inedia? An fortaſſe grauius eſt, quenquam ferro, quàm fame conficere? Non ita eſt. Quin mors inopina, quàm lenta, mitior. Ne igitur alimenta uitæ deneget, qui uitam dedit: ni uelit me deteriori eſſe conditione, quàm bruta, muta, irrationabilia: quorum nullum eſt tam immane, atrox, truculentũ, ſęuum, quod charitate ſobolis non moueatur: nullum, quod alimenta in tempus opportunum proli non præbeat. Atqui iam ſe id eſſe defunctum, inquiet: me id ætatis eſſe, ut facilè per me poſsim mihi ipſe uictũ quęrere. Fateor, ſi aut ad ſtiuam natus eſſem, aut oneri ferendo

ille

ille me genuiſſet:aut denique alicui ſel
lularię arti, atque exercitationi me ma
turè tradidiſſet, ut ea ratione nũc mihi
uictum proſpicerem. Nunc, quũ is ita
me à teneris aluerit,eduxerit,inſtituen
dũ curarit,ut nihil minus norim, quàm
uictum atq; alimenta mihi parare:quid
nobis ſit reliquum,niſi aut mendicare,
aut perire fame? quorum ut altero ni-
hil turpius, ſic altero nihil miſerius.
Sed de me Deus aliquis uiderit. Illud
me multo grauius premit, angit, cru-
ciat,excarnificat:nimirum puellæ mihi
merito ſuo chariſsimæ uita: quam cum
ego ſemper quouis hon̄ore digniſsi-
mam iudicarim, nunc me ſic affectam
uidere,eamq́; me unum reſpicere:à me
tacitá oculis,nutũ,ſignificatione, opẽ,
auxilium, miſericordiam petere: meq́;
id,quod uerbis ſum ſæpe pollicitus, re
præſtare non poſſe: id eſt eiuſmodi, ut
quæuis mors mihi, quoduis ſuppliciũ
tolerabilius eſſe uideatur. Mouet me
indigniſsima puellæ iamiam pereuntis
(niſi quis Deus reſpiciat)calamitas:mo

uet fœtus nõdum maturus, qui neceſſitate prius mori quàm naſci cogitur: mouet honos meus, qui uidebor eam domo materna abduxiſſe, ut efferrem. Mouet poſtremò, quòd uideo quid dicturi ſint homines de noſtra familia: qui quouis Atreo, aut Thyeſte crudeliores in noſtramet uiſcera ſæuiamus. Sed me plura dicere conantem impedit dolor, & lachrymæ, quibus planè conficior. Tu igitur uir amantiſsime, cætera melius pro tua prudentia conſiderabis: atque ita demum ages apud patrem meum (ſi modò is ſuſtinet ſeſe à filio patrem appellari) ut aut mihi ignoſcat, plus ſatis actorum pœnitentiam agenti: aut ſi id nimium eſt, in me omnia iræ ſuæ tela conijciat, in me unum ſæuiat: miſeram & miſerabilem puellam pereuntem, puerumque nihil tale commeritum reſpiciat: in cuius unius obitu, tres ſimul animæ proculdubio periclitantur. Vale.

M. Ant.

M. Ant. Piſaurenſis Io. Iuſtiniano S. D. Diſuaſoria. 2

AVdio te, neſcio qua ſpe, aut quo tandem conſilio ductum, Cyprum cogitare. Quod etſi minimè uelim, aut te à bene ſperando deterrere, aut illi prouinciæ quicquam detrahere, quæ tam multis nominibus tantopere commendetur, minimeq; conueniat quéquam credere te tali doctrina & rerũ uſu atq; experientia uirũ cuiuſquam cõſilijs egere: tamen quando ita natura comparatũ eſt, ut qui multũ amẽt, multum etiam ijs timeant, quos magnopere diligunt, charosq; habẽt: propterea cogor te audacter monere, ac familiariter, ne quid temerè facias, ne'ue te magis alliciat in re difficillima, ſpes incerta futuri cõmodi, quàm inde abſterreat malorum cõſideratio. Nanq;, ut arbitror ea bona, quæ de illa inſula una omniũ uoce prædicantur, eſſe uerißima: ita quæ mala de illa ferũtur, haudquaquã puto eſſe negligẽda: quorũ uel minimũ præpõderat omnibus ijſce, quantũuis plu-

rimis, maximisque uel bonis, uel com̃modis, quę inde tibi expectari poſsint. Equidē ſic ſtatuo, in omni de rebus du bijs deliberatione, ubi mala bonis, dãna utilitati, pericula cõmodis præſtãt, utilitati ac ſecuritati conſulendũ eſſe. Iam primùm omnium, ut de malis atq; incommodis dicam: uaſtitas illa maris Ionij, quæ tibi per tot ſpacia pererranda eſt, quò te pacto ſit iactatura, conſiderandũ cenſeo: quosq; tibi terrores, quæ pericula ſit obiectura. Iam ut nulla ſint cœlitùs futura pericula, ut procellæ non ſæuiant, non mugiat mare, non undæ fremant, non ſtrideant rudentes: antemnæ, gubernaculaq; minimè gemant: non pallor & terror pauitantũ, & dira timentum, tibi oculos, aures, pectus feriant: ut omnia deniq; ſint nobis à cœlo, mari, uentis tuta, æqua, trãquilla: quid? nihil'ne erit etiam à piratis, genere hominum immaniſsimo ac teterrimo, nobis timendum? ut interim taceam reliqua nauigationis uel incommoda, uel tedia: uertigines, uomitus,

mitus, ſentinæ uicia, tetrum illum putorem, ac nauteam: cui qui fœtores, quæ ſalſamenta putria comparata, non puri Arabum odores, ac mera thymiamata eſſe uideantur? Sed age ſanè, ut iſta omnia uel pericula, uel incommoda tibi ſuperentur: aut etiam, ſi mauis, uitentur, quid tandem? quid futurum cenſes, ubi eò perueneris, quò deſtinaſti? Equidem nolim quicquam grauius dicere de illa inſula, quæ ſemper ſic à clariſsimis poetarum ingenijs ſit celebrata, ut ob delicias, locíque amœnitatem, ibi Venus ſedem domiciliumque habuiſſe ſit dicta: huc adde hominum ingenia, ad cultum & humanitatem propenſiora, tum ad morum ciuilitatem & liberalitatem mirè expoſita. Verùm mihi diſsimulandum non eſt, quod iſta nō faciunt, quo minus ea quæ ſunt à natura noxia, minus noceāt. Nā æſtus, illi, qui abuſq; Syria & Aegypto eam inſulā infeſtāt, per æſtatē ſic ſæuiūt, ut quàm pauciſsimi ſint ex noſtris hominib. qui cœlū illud arden-

ardentiſsimum perferre poſsint. Iam uerò uina illa tenuia & fumoſa, quis noſtrûm poteſt uel bibere, uel cõcoquere? Porrò ſi hæc etiam robuſtis & ocioſis plerunq; officiũt, quid te futũrum cenſes? qui ſis & corpore nonnihil affecto: & in negocio, & quidem moleſtiſsimo ſemper futurus? An non tibi erit in piſtrino molendum? ſitu, pedore, ſquallore cõtabeſcendũ? uſq; inter pueros ſedẽdũ, ambulandũ, clamandũ? idem ſępius faciendum, ac reficiendũ? texendũ ac retexendũ, quaſi Penelopes, aut certè telas aranearum? pręlegendę lectiones, eædemq́ue millies à recitantibus audiendæ? danda themata, corrigenda, emendanda? emendata reuidenda? tum pueros examinandum, uociferandum, minandum, nonnunquam etiam uerberandum? planctus, eiulatus, querelas audiẽdum? toties crambe repetita deuoranda? aliena præſtanda uel ruditas, uel negligentia? Ad hæc parentum lamẽta, iurgia, indignitates muſſandum, purgandum, deuorandum? Profectò ſi

hæc uita nõ eſt futura miſera, nulla eſt miſeria in uita. At uerò, inquies, præmij dulcedo laborem minuet: magnitudoq́; utilitatis faciet, ut omnia facilia, iucundaq́; eſſe uideãtur. Eſt iſtud quidem aliquid, atq; adeò multum, ad laborem æquiore animo tolerandũ. Cæterùm ſi ad uitam res conferatur, quę'nam poteſt eſſe utilitas tanta, quæ cum uitæ periculis ſit conferenda? Sapienter dici ſolitũ accepimus à Cæſare Auguſto, Non eſſe aureo piſcandũ hamo. Atqui hami aurei iactura ſarciri poteſt: qui uitam ſemel amiſit, quo pacto ſarciet? Verùm eſto, ut magnæ alicuius utilitatis cauſa ſint adeunda pericula, ſint labores & incommoda ſuſcipienda: neque enim (ut ait ille) ſine periculo fit facinus magnum, & memorabile: eſtq; omnino puſilli animi, atq; anguſti, in rebus aggrediendis nihil niſi de periculis cogitare. Sed quæ'nam tãdem eſt iſta utilitas, quę te ab oculis Italiæ poſſit abſtrahere? à doctiſsimorum uirorũ cõſuetudine abducere, ab amicorũ aſpectu,

ſpectu, à coniunctiſsimorũ ſuauiſsimo complexu auellere, tamq; procul gentiũ nobis auferre queat? ac ueluti in ultimas terras deportare? Sed age mitto, ut ea ſint nobis propoſita operæ precia, ut quemuis uel cupidum, uel indigenté eò poſsintpertrahere: te uerò, hominẽ neque auarum, neq; filiorum ſarcina grauatum, cui tantum uel partum iam eſt, uel certè modico labore in diẽ paratur, ut ſi non lautè, at frugi: ſi non ſplendidè, at cõmodè uitam tranſigas: quid eſt tandem, cur nunc potiſsimũ, iſta ætate, corpore etiam parum firmo, uelis, ob paulo maius lucellũ, te uitáq; tuam, undis uentisq; committere? An fortaſſe illud ſenectuti peculiare uiciũ tibi inceſsit: ut quanto minus reſtat itineris, tanto ſis magis de uiatico ſolicitus? Nam cum ſemper modico contentus uixeris, alienã etiam à pueroauaritiã hoſtiliter inſectatus fueris: quare nunc demum admittes, ut quiſquã te putet auidiorem ætate factum pecuniæ inhiare? cuius quidem auiditas cùm in

830

omni uiro liberali turpis, tum in litera to turpiſsima, ac maximè deteſtãda eſt. Sed iam finem faciam, ne uidear prudẽ tiæ tuę diffidere. nã etſi multa mihi occurrebãt, quæ uel ad uitã, uel ad dignitatẽ tuam plurimũpertinere arbitrarer: tamen ne te, uirum & literis eruditum, & longo uſu rerum prudentem, & grauem ambitioſius monere uidear, his cõtentus eſſe debeo, quę dixi: quę quidẽ, ſi ad meam in te beneuolentiam reíque naturam ſpectes, pauca: ſi ad tuam uel uirtutem, uel ſapientiam, nimia uideantur. Deum opt. max. precor, ut quicquid egeris, conſtitueris, fœlix, fauſtũ, fortunatumq́ue euenire uelit. Valé.

Laurentius Contarenus, eques auratus, Ioan. Iuſtiniano S. D.

Suaſoria. 3

EX literis, quas ad te ſcripſit Piſaurienſis, intellexi tibi eſſe poſitum in conſultatione, an ſit eundum in Cyprum, ad erudiendam pubem Nicoſienſium. Porrò in ea deliberatione uideo Piſaurẽſem id præcipuè ſentire,

ut

ut ne quid temerè ſtatuamus, in re præſertim difficili,atque ubi iactura utilitati præponderat: quod ego ſanè conſilium non hic tantum, ſed in omni etiã uita ſeruari uelim. Quis enim temerè quicquam inceptat,quem,niſi ſit fortunę filius, non illico ſequatur uel infamia,uel pœnitentia? uel ſæpe etiam utrumque? Itaque quum ille rectè hac in parte,prudenterq; cenſuerit: nihil eſt quòd contrà ipſe uel dicam omnino, uel ſentiam. Verùm quoniã ille omnia ferè collegit argumenta, quibus te ab ea profectione deterreret: ego contrà, non ut deterream,ſed ut horter ad proficiſcendum,agam paucis. Primùm igitur omnium illud nobis hac ipſa in conſultatione ſit poſitum, quod in omni deliberatione ſeruari conuenit:utique ut mens ipſa,quæ conſultat, ſit libera,neque ullis affectibus mancipata: ne'ue ſit nobis domo allata ſententia, ne'ue in animo præſtitutum quod facere uolumus, multo antè,quàm de faciẽdo deliberemus.Quod ſi ita eſt,neque

tibi

tibi iam inſedit animo, non eſſe profici ſcendum: ſpero me tibi ualidiſsimis rationibus atque argumentis probaturum, ac omnino euicturum, ut proficiſcendum exiſtimes, neque ullo modo amplius eſſe cunctandum. Porrò rationes, quibus te Piſaurenſis ab ea profectione dehortatur, omnes ad duo capita potiſsimùm referuntur: quorum alterum damna & pericula, alterum uerò turpitudinem & infamiam cõtinet: utrunque ſanè ad percellendas, proturbandasque etiam firmiſsimas mentes, inſtrumentum ualidiſsimũ. Cæterùm ſi quis attentius rerum naturam conſideret, facilè cognoſcet, multo aliter eſſe iudicandum de rebus ipſis, quàm primo illo mentis inanibus terroribus perculſę obtutu uiſum eſt eſſe ſtatuendũ. Quare primùm illud nobis diſpiciendum eſt, an è re tua ſit, hinc te amouere, nec ne: atq; in Cyprum proficiſci, nec ne. quod ubi conſtitueris in rem tuam eſſe, tunc ea demùm conſideranda ſunt uel pericula, uel incommoda, quæ ſunt

Piſaurenſi collecta. Quod ſi putamus nobis eſſe utile profectionẽ illam ſuſci pere, nulla debent pericula, præſertim quæ non ſint nec præcipua, nec ſingularia, nos commouere. Nam quod ait Piſaurenſis, mare infidum eſſe, ac naufragum: nihil noui affert. Quis enim un quã dubitauit, pelagus eſſe naufragijs infame? & nihilominus quis unquã uidit mare nauigationibus uacuum, etiã ſi quotidie nauigia periclitẽtur? Quòd ſi ad pericula, eaq; fortuita, non certa, caſu & fortè contingentia, non fixa & impermutabilia, reſpicere uolumus: iã non naſci præſtiterat, quàm iñ eam uitam eſſe ingreſſos, quæ ſingulis momẽ tis periculis ſit expoſita. Nam per Deũ immortalẽ, quota uitæ pars periculis uacat? In utero matris, extinctę lucernę fumus extinguere hominẽ poteſt: pili hauſtus, atq; acinus uuæ, ſtrangulare aliquem potuit. illum riſus nimius occidit, alius repentina lætitia perijt: ille uini potu præfocatus eſt, ille cibo diſtẽ tus obijt: hunc fumus, aut uapor dormientem

mientem ſuffocauit: alium canes à cœna redeuntẽ diſcerpere, alium iter carpentem latrones aut feræ dilaniare potuerunt: alios alia noua, inaudita, inopinata extinxere. ut non dicam ruinas, incendia, inundationes, uenena, terremotus, præcipitia, tum illata hominibus ab alijs mala: & quod grauius eſt, ab ijs etiam, à quibus minimè conueniebat, imò à quibus bona expectari ius faſq; erat. Iam uerò, ſi omnia quibus homines uel pereunt, uel malè habẽt, fugiẽda ſunt: abijciamus remedia, ijs enim homines quandoq; pereunt: tollatũr medicina, ea ſiquidẽ multos de medio tollit: dãnẽtur cibi, aliquãdo enim homines cibo pereũt: nemo nauiget, eſt mare naufragũ: nemo ſub tecto habitet, quãdoq; habitantes ruina oppreſsit. deniq; aera, uẽtũ, ſolẽ uitemus, ſunt.n. plerũq; noxia. Iã quod dictũ eſt de periculis, dictũ ſit nobis de incõmodis. Nemo ducat uxorẽ: eſt.n. res incõmoda perſæpe uxor. nemo liberos tollat: ſũt.n. cauſa multorũ malorũ. nemo

 putet,

putet, aut ferat: grando ſæpe frugibus grauem attulit calamitatẽ. nemo ignẽ domi ſuſcitet: is ſæpe totã familiã incendit. Poſtremò fœminę haud nubãt, ne'ue dent operam liberis: multæ ſiqui dem uel abortiunt, uel partu óccidunt. Denique homines nihil agant, nihil cogitent, de nulla ſint re ſolliciti: quando nihil eſt quod ſine uel periculo, uel incommodo fieri poſsit. Quis porrò ſanæ mentis ſic loquitur? Fuge, deuita, caue hoc, uel illud: ſiquidem aliquando nocet? Quis enim uir frugi unquam, aut incõmodi aut periculi uitandi gratia, uel honeſtatem, uel utilitatem contempſit? An non,

Impiger extremos currit mercator ad Indos:
Per mare pauperiẽ fugiens, per ſaxa, per ignes?

Quanquam ubi ſunt iſta pericula? quum ſis traiecturus naui ualidiſsima, uiris armiſque inſtructiſsima, & uel ad maris æſtus tolerãdos firma, uel ad hoſtium & piratarum impetus ſuſtinendos robuſta? Tametſi nullæ ſunt hic hoſtium uel uires, uel inſidiæ pertimeſcẽdæ,

dæ, quando ſunt omnia nobis à Turcis pacata: omnia ad pacem, tranquillitatē, concordiam ſpectent. Sed hæc ſint nobis dicta in genere de periculis & incō modis, quæ à mari impendent. Iā quòd ad partes & ſingula ſpectat eorum quæ ſunt in ea inſula, ut Piſaurenſis putat, uel incommoda, uel noxia: equidem quod tibi præſens præſenti me dicere memini, quum hac ipſa de re in ædibus meis, Venetijs, tecum agerem, præſente etiàm honeſtiſsimo uiro Ioanne Zāberlano Cyprio, hoſpite & familiari meo, qui te ad eam profectionem ſolicitabat: hoc idem his ipſis literis repetendum puto. Dixi ego tibi Iuſtiniane, apud Cyprum eſſe rerum omnium bonarum copiam. Cœlum ſalubre, ſi quis eo ritè utatur, ſibiq́ue à noxijs in uictu temperet. aera uerò, etſi aliquanto per æſtatem, quàm noſtrum, æſtuoſius, tamen ita plerunque uentis agitari, ut ad aeris noſtri, ac cœli tēperiem propius accedat. quinetiam maiores apud nos æſtus uigere aliquando affirmarim,

quàm illic omnino ſenſerim. Iam uina licet ſint firmiora multo, ac magis auſtera, quàm ſint noſtratia, præſertim campeſtria : tamen aquis, quæ illic ſunt ſaluberrimæ, temperata, dilutaq́;, mirum quàm ſtomachum foueant, aluū citent, palatum excitent, deniq; cō ferant incolumitati, atq; ad artus fouē dos ac uegetandos conducant. Atque hinc fortaſſe datus eſt locus fabulis de Cyprigena, & Cupidine. Porrò de ingenijs hominū illud habeo tibi polliceri, eius eſſe modi, ut quæ ad ciuilitatē, humanitatē, liberalitatē attinent, nihil ſis in eis deſideraturꝰ. Iā de pueris, & adoleſcētib. ut paucis abſoluā: eo ſunt ingenio, quo pleriq; noſtrûm adoleſcentiū, paulo etiā ferociore : idq́; uel ob cœli ſoliq; naturam, uel ob lōgam ſtudiorū deſuetudinē, ac licentiā, qua iuuentus plerūq; redditur inſolentior: tāetſi pleraq; ſunt eiuſmodi, ut ſi nacti ſint inſtitutorem idoneū, qualem te fore habemus perſuaſum, facile ſpes ſit fore, ut ad bonā frugē, atq; etiā ad excellentē

uirtutem

uirtutem perduci poſsint. Nam quòd putaſtibi eo loci molendũ eſſe in piſtrino, geſtãdas cõpedes, & reliqua, quę Piſaurenſis amplificando collegit mala: tunc iure meritoq; ea diceret, ſi apud Cyprũ tantum id tibi futurũ eſſet incõmodum. nunc uerò cum ubiq; gentium ea ſit ludi literarum ac ſcholæ moderandæ ratio, ut meritò dixerit Auſonius, fœlicẽ grãmaticũ neq; eſſe, neq; unquã fuiſſe, neq; eſſe poſſe: quid eſt tãdem cauſę, cur Piſaurenſis, quod eſt omniũ locorũ uicium, id uni Cypro obijciendum putarit? Haud aliter ſanè, quàm ſi quis quẽpiã dehortaturus, ne is aliquã certam nauẽ cõſcendat, id illi naui uicio uertat, quod eſt omniũ nauiũ cõmune: utiq; illã in aquis fluitare, aut certè quòd ſẽtinę uitijs aut motu ſali moueret nauſeã. Sed dicat mihi Piſaurẽſis, an fortaſſe in ludis literarijs apud Italos, Hiſpanos, Germanos, Gallos, ludatur alea, aut talis: an uerò ubique texantur telæ Penelopes? crambeque decies recocta deuoretur? Hæc

certè ubiuis gentium fit. quod qui nolit facere, grammatici munere ſeſe abdicet oportet: haud aliter ſanè, quàm ſutor, aut textor, ſi ſubulę, radij'ue pigeat, is habeat nomen artis ſuæ abijciendum neceſſariò. Quanquam quodnam uitæ genus inuenias tam fœlix, tã omni ex parte beatum, ut ſi mala inde ſecernas, ac tanquam ex uua labruſcas, aut aceruo frumenti lolium ſeligas, non multa inuenias, quæ te offendant? uetus eſt enim, neminem ſua ſorte con tentum eſſe: omnes autem diuerſa ſequentes laudare. Cæterùm ſors grammatici, quam alij tam miſerè deplorãt, nõ talis uiſa eſt Dionyſio Syracuſanorum tyranno: quem, quum patria pulſus ludum literarium pueris erudiendis apud Corinthum aperuiſſet, dicere ſolitũ accepimus, illud uitæ genus habere quandam cum regno ſocietatem: nimirum quòd, qui ludo literario præeſſet, is meritò liberis imperare diceretur. Quod quidem facile oſtendit, unũquodq; uitæ genus tale uel eſſe, uel certè

certè uideri,qualis eſt animus eius,qui in eo uerſatur.Itaq; tuũ erit id,quo tua te uel uirtus uel ſors uocat, uel leue, uel intolerabile iudicare. Mihi certè illud Platonis,etiam à Terentio uſurpatum,ſemper probatum eſt: Ita uita eſt hominum, quaſi cum ludas teſſeris: ſi illud,quod eſt maximè opus iactu,non cadit. illud quod cecidit fortè, id arte ut corrigas. Sed quid ego hæc tecum, cui domi naſcuntur? Nunc illud reſtat excutiendum, ac ſeriò etiam diſputandum,quod ait Piſaurenſis: Nimirũ eſſe turpe,te iſta ętate,corpore affecto, carentem liberis,longiorem peregrinationem ſuſcipere:uitam tuam undis,uẽtisq́; commitere. Hic ego contrà ſentio. Nam ſi te in Cyprum uocaret ambitio,traheret auaritia,raperet habendi ſitis, ullaue omnino uoluptas corporis alliceret, atque incitaret: quis tunc demum nõ turpe duceret?præſertim in ſene,cui nõ tam quidẽ quæri uideretur quod ad uitã deeſſet,quàm expeti quod uel auiditatẽ,cui nihil unquã

eſt ſatis, expleret, uel miſerabiliter par tum ſtultè alijs mox relinqueret. Nunc uerò, quum te omnes & continentiſsimum ſæpe, & paruo contentū ſemper nouerimus: & his facultatibus ac literis inſtructum, ut in florentiſsimis Italiæ urbibus, in quibus docēdo multos ad honores, ad dignitates, ad multa per literas cōmoda prouexiſti, nihil tibi de eſſe poſsit: quis erit tandē tam rudis, tā imperitus rerum, tam à ſenſu cōmuni alienus, qui te cæco animi affectu, non maturo conſilio: cupiditate pecuniolę, non ſtudio bene merēdi: deniq; potius uoluptate, quàm honeſtate: tuo nutu, quàm amicorū perſuaſionibus, ac iuſtiſſimis precibus motum, tam longinquā peregrinationem ſuſcepiſſe arbitretur? Iam quòd ait Piſaurenſis, te liberis carentē, non debere uitam tuā periculis exponere: libens ab eo quæſierim, utrū ille putet ęquius, quempiā'ne ipſum ſolum, an cū tota poſteritate fortunæ ſubire aleā? aut utrū tolerabilius, peregrè proficiſcentē, filios ſecū ducere ad ea,
quæ

quæ ille dixit, pericula: an domi relictos, diu noctuq; ſuſpirare? omniaque, quæ uix poſſunt homini accidere, ipſe perpetuò timere? Quin ego, ſi filios haberes, tibi eſſem author, ut domi potius maneres, familiã pręſens tuerere, quàm te, uel cum illa ſarcina periclitari fortunam, uel ſine illa miſerum ac ſollicitum ſemper uiuere. Nam quod is tibi obijcit corporis affectionē, aut membri alicuius debilitatē: ea eſt eiuſmodi, ut cũ functionem tui muneris minimè impeditura ſit, tum futurũ ſit ut uel optimus quiſque ac fortiſsimus tibi faueat, cum intelligat uirtutem animi, ac fortitudinem eam tibi plagam inflixiſſe, neque animi præſtantiam tibi iuueni defuiſſe, ſed factis tuis, egregieq; uirtuti caſum fortunãq; inuidiſſe. Reliqua ſunt eiuſmodi, ut non grauius ea foris quàm domi, apud exteros quàm cũ tuis poſsis ſuſtinere. Porrò autē, ſi turpe eſt ſenē peregrè proficiſci, atq; in alienã patriam cōcedere: cur gentiũ Philoſophi, quos ob ſingularē uirtutē ac ſapiētiã, paſsim

homines

mo?ijdem ferè hominum mores?ijdem ſenſus? eadem ingenia?idē cœlum? eadem ferè omnia?ut non patriam,ut dixi,deſerere: ſed patriam repetere, atq; in eam tanquā alter Vlyſſes lōgo poſtliminio reuertiuideare.Emiſit te patria puerum nudum, rerum omnium expertem,rudem, ſine literis, ſine doctrina, elinguem,infantem,abſque ulla rerum bonarum cognitione, ſolo inſtructum animo diſcendi, ac ſciendi cupiditate, tum peragrandi orbis, uidendi, cognoſcendi rerum nouarum,&incredibiliū, quas in patria fando ab alijs admirans puer audiebas.Nunc eidem ferè patrię te reddes, atque reſtitues non puerum rudem,atque imperitum, ſed uirum ut ætate atque annis,ita animi maturum & grauem: non nudum, ſed uarijs animi dotibus ornatumatque inſtructum: non elinguem ac mutum,ſed uarijs linguis etiam comptum, & elegantem: id quod ſcripta tua Italicè,Hiſpanicè,Latinè facilè oſtendunt. Denique ſi non doctiſsimū, aut ijſce florentē diſcipli-

nis,

nis, quibus olim Pythagoras, Solon, Plato, reliquique ueteres philoſophi orbe peterrato in patriam reuerſi ſunt inſtructiſsimi: non tamen omnino expertem earum rerum, quę pertinent ad rectè tum loquendum, tum ſentiendum: neque modò ad linguam puerorum ritè formandam, ſed etiam ad animos excitandos, atque inflammandos ad uirtutem, idoneum. Poſtremò quã do maximam uitæ partem egiſti in aulis Principũ, quibus & ingenij ſuauitate, & fide propè ſingulari fuiſti gratus: uixiſti in conſuetudine præſtantiſsimorum uirorũ, ac more Vlyſsis illius Homerici mores hominum multorum atque urbes uidiſti, multa inſpexiſti, multa cognouiſti, ac memoria tenes: quæ non minima eſt pars prudentiæ, quæ (ut eſt apud Aphranium) patre uſu, matre memoria prognata eſt. His ego de cauſis ſpero equidẽ, fore te ciuitati Nicoſienſium non ſolum gratum, uerumetiam iucundum. Plura dicerem, niſi me tibi plura, quàm pro re, dixiſſe dubitarem:

taremːne'ue omnino timerem, ne crederes, non ſatis eſſe ea potentia, quæ non putamus ipſi ſufficere, qui dicimus. Itaque hic finem faciam, ſi illud addidero, propter quod hoc cœptum eſt agi: nimirum tibi ut affirmem me iudicare, tibi eſſe in Cyprum proficiſcendum: in qua quidē inſula futurum eſt, ut ſis uniuerſæ illi egregiæ nobilitati chariſsimus: cuius tu liberos bonis artibus excolendo, monitis inſtruendo, uirtutibus ornando: illi te uiciſsim beneficijs, & grati animi ſignificatione proſequendo, pulcherrimum ac maximè laudabile inter uos certamen ſuſcepiſſe uideamini. Hæc ſunt, quæ mihi de tua profectione, ſi non artificioſè, aut ornatè, certè ſincerè & amanter dicenda occurrebant. Tu tamen, quę tua prudentia eſt, multo melius quod in rem tuam futurum ſit, diſpicies: meque, ut ſoles, amabis. Vale, Calendis Septembris.

M.D.LII.

Ioan.

Ioan. Iuſtinianus Lazaro Bonamico Baſſanenſi S. D.

Suaſoria iocoſa. 4

TVa ſumma humanitas, meaque in te ſingularis beneuolentia, faciunt audacter te ut moneam, & familiariter, ſi quid eſt quod tua uel ſcire, uel facere magnopere intereſſe putem. Neque uerò éſt quòd uerear ne te offendam, quum grauiſsima tua res agatur, coràm, quod alij abſentes de illo dictitant: idque maximè curare, ut quæ dicimus, non tam illi grata in præſentia, quàm in omne tempus cùm utilia, tum etiam honorifica futura eſſe poſsint.
Audiò te, quum quis incuſat quòd ſeptuagenario maiòr principem utriuſque linguæ locum, in celeberrimo hoc Gymnaſio iam diu obtinens, nihil adhuc mandaris literarũ monumentis, quod alios delectet, iuuet, teipſum laudibus illuſtret: audio inquam, te ſempèr procraſtinantem, ac pulchra & magna pollicitantem, quærentes ludificari:

ficari: quòd dicas, tibi reſtare domeſtica negocia expedienda, quæ ſibi ſolidum decennium poſcant: his expeditis, te tunc demum deſcribendo & cõmentando ſeriò cogitaturum: effectu rum denique, ut omnes intelligant, te non fruſtra hominum expectationem tamdiu tenuiſſe ſuſpenſam. Deum immortalem, te hominẽ, ut omnes quidẽ uno ore prædicant, & doctum & prudentem: ut ego iudico, etiam oculatũ & perſpicacem, non uidere, aũt non intelligere uitæ huius breuitatem, imbecillitatem, fugacitatẽ? Quæſo te per Deûm hominumque fidem, quotusquiſque eorum qui uiuunt, iſtuc ætatis peruenit? Sed age, ut aliqui ex uulgo ſeptuageſimũ, aut ſi uis etiam octogeſimũ annũ attingant: quotus eorũ qui aliquid celebrius conſcripſere, octogeſimum expectauit annum, ut tunc demũ uel ſcribere inciperet: uel de ſcribẽdo etiam, ſi Dijs placet, tam ſerò cogitaſſet? Nolim huc afferre antiquorum exempla, quæ tibi multo melius nota

ſunt, quàm mihi: dicam pauca de his, qui noſtris, aut paulo etiam ſuperioribus temporibus aliquid ſcibendo claruere: quos tu ita ſemper præ te contempſiſti: ut nec tu attingendos tibi unquam putaris, & omnes de manibus auditorum tuorum excutiendos, abijciendosque ſemper curaueris: quaſi linguam Latinam, cuius tu es unicus myſtes, ac promus condus, labefactantes. Certè Rodolphus Agricola Phriſius, ut ab hoc uno incipiam, ſcripta cuius nulla unquam deletura eſt obliuio, cuius memoriam nulla unquam ætas conticeſcet, anno ætatis circiter quadrageſimo obijt. de quo eſt illud celebratiſsimum laudatiſsimi uiri Hermolai Barbari Patricij Veneti elogiũ: utique illum incolumem tantum decoris atque ornamenti Germaniæ ſuæ cõparaſſe, quantũ olim Grçcia & Italia obtinuiſſent. ſed præſtiterit eius ipſius de hac re carmen hoc loco inſeruiſſe:

Frigida clauſerunt hoc marmore ſata Rodolphum
Agricolam, Phriſij ſpemq; decusq; ſoli.

Scilicet

Scilicet hoc uino meruit Germania, laudis
Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Hic uir egregius,& cum omni antiquitate facilè comparandus, non, uti ſcribere inciperet,octogeſimum expectauit annum, qui citra quinquageſimum ſit rebus mortalium exemptus. Angelus Politianus, Muſarum latinarũ delicium, ante annũ quinquageſimum extinctus eſt. Picus Mirandulanus,quẽ ſua ætas Phœnicẽ appellabat, annũ agẽs quartum & trigeſimũ, nõ ſine ingẽti iactura Italici nominis, optimorũq; ſtudiorũ, eſt fato interceptus. Chriſtophorum Longoliũ Belgã (prę-cipuos in eloquentia nomino) eiuſdẽ ætatis importuna mors abſtulit. Ludouico Viui Valẽtino diuturniorẽ aliquãto uitam Dij conceſſerant, quippe qui octauum & quadrageſimũ expleuit annũ:ſed qui certè id ætatis tantũ præclariſsimorũ operũ ſolus ediderit, quantum ſatis fuiſſet, uel ſi aut Homeri ætatem, aut Senecę eſſet ſupergreſſus.

Sed nolo hic omnes doctos percenſere numerando, quorum numerus iniri uix poteſt, qui cum ab ipſa adoleſcentia meditari ſcriptionẽ cœpiſſent, idem illis uiuendi, qui & ſcribendi finis fuit: neq; antè ſtilum de manibus, quàm animas in opere poſuerunt. Illud dico, neminem unquam fuiſſe, qui, ut bene quid faceret, ſerò incœperit. Alta, inquit Orator, uirtus radices agit: nihil egregium eodem tempore & cœptum eſt, & perfectum: qui diutino languore obtorpuit, non poteſt ad curſuram ſufficere. Non eſt igitur, cur procraſtinando, & comperendinando teneas hominum expectationem ſuſpenſam: neque cur aut illos fructu iucũdiſsimæ lectionis ſcriptorũ tuorũ, aut teipſum fraudes tua gloria. Nemo eſt quin putet, te, qui ſis quinquaginta, aut eo amplius, annos in hiſce ſtudijs humanioribus magna cum tua laude uerſatus, qui nihil uel apud Græcos uel apud Latinos inexcuſſum reliqueris, nihil ſit uel in Philoſophia, uel in hiſtoria, uel in ipſa

ipſa denique dicendi arte, quam profiteris, quod non legeris, hauſeris, expreſſeris, tanquam ungues, digitosq; tuos teneas: nemo eſt inquam, qui non arbitretur, te, ſi ad ſcribendum animũ appuleris, ea daturum ingenij, eruditionis, eloquentiæ documenta, ut cuncti intelligant, te unum eſſe illum, quẽ omnes uidere, audireq; cupiebant, nemo expectabat. Etenim ſi quum te uel legentem homines, uel loquentem audiunt, Neſtorem quempiam, è cuius ore melle dulcior fluebat oratio, ſeſe audire exiſtimant: quãto putas nunc eos deſiderio teneri ſcriptorũ tuorum, ubi omnia orationis emblemata, omniũ charitum myrothecia, omnia tum ſciẽdi tum eloquẽdi ornamenta uiſuros ſe ſperant? Equidem alios neſcio, me quidem certè incredibilis quædam cupiditas tenet, agit, raptat, rotat, uerſat, conficit, macerat, excarnificat, uidendi ſcilicet ſcripta illa tua diuina & cœleſtia, quouis Deorũ nectare, & ambroſia ſuauiora. O ſi mihi nũc eſſet illa Suadę me

dulla, q́ neſcio cui quondã dicitur in la bijs ſeſsitauiſſe: ſi eſſet nunc illa mihi Pitho flexanima, quæ id faceret, ut ego tibi pſuadere poſſem, ut nobis uocẽ iſtã cygneã, imò diuinã & cœleſtẽ (eſt enim ſæpius dicendũ, ꝙ ſępius dictũ nunquã poteſt uideri ſatis) ita in ſcriptis tuis uidere permitteres, ut ex ore iſto melleo, ſaccareo, quauis hybla dulciore, quouis Hymetto ſuauiore, ſæpenumero audiuimus: ô nos terq́ue quaterq́ue beatos. Tunc profectò apertè uideremus, quantas uires haberet eloquẽtia: quę uiſa eſt M. Fabio, magno ipſius authori, adhuc augeri poſſe. etiamſi idem dixerit, Ciceronem prouidentia naturæ genitum, in quo uires ſuas experiretur eloquentia. Proculdubio, quod adhuc deeſt, id in ſcriptis tuis perfectũ, ab ſolutũq; uideremus: quod fortaſſe nunquã aliàs ab ullo hominũ conſummatũ uidebimus. Tunc uerò ſeriò ſorderet Eraſmus, puteret Politianus: omnes quotquot unquã ſcripſerũt, nõ emeremus titiuilitio. Certè Barbarus ille, qui

olim

olim dixerat, Lazare ueni foras: intelli
geret, quanto ſuo malo te prouocaſſet.
Quod quidem multi putant eſſe in cau
ſa, cur tu illi adhuc ſis infenſior. quáuis
alij exiſtimẽt, nõ te illi ꝓpterea iniqui-
orẽ, ſed quòd ita ſis animatus in omnes
huius ꝗui ſcriptores: ꝓpterea quòd pu
tes, eos luminibus tuis obſtruere, neq;
permittere ut tu ſolus ſapere uideare.
Itaq; à te peto, & ſi pateris, rogo, uir o-
ptime Lazare, ut in re tanta, ubi tua ſci
licet agitur exiſtimatio, des aliquid lite
rarum monumẽtis: des aliquid deſide-
rio noſtro, qui te amamus, charũq; ha-
bemus: des omniũ expectationi: des po
ſtremò tuæ gloriæ, ne homines te non
tam noluiſſe, quàm non potuiſſe reſpõ
dere communi de te expectationi cre-
dãt. Ne deniq; putent, humilioribus te
curis, quàm quæ hominẽ probũ & do-
ctũ deceant, occupatũ, non poſſe hiſce
rebus uacare, quę ſunt hominis ꝓprię:
quęq; illum à brutis, mutis, & irrationa
libus prorſum diſtinguũt. At uide quã-
tã, quãq; ineluibilẽ tibi maculã inurat

bona magnaq; pars tuorum auditorū. Aiunt enim, te hominem id ætatis, in qua potius tibi de rogo ſit, quàm de ulla re alia cogitandum, captum amore puellæ formoſiſsimæ, certè mirè oculis tuis abblādientis: Trappolinam uocant: dies noctesq; illi operā dare, nihil præterea reſpicere, nihil cogitare, quæ dum tibi faueat, dū regum atq; equitū comitāte caterua tibi occurrat, non te ab eius aſpectu auelli, dimoueri'ue poſſe, Attalicis cōditionibus. Certè aiūt, ſi tergemina illa Hecates facies, triplici unionum redimita corona, ſeſe tibi oſtendat, fore ut non te ab ea diuellāt nec Bactra, nec Indi, totaq; thuriferis Panchaia diues arenis. Sed hæc tecum iocati. Porrò ais, te Ariſtotelis attentū auditorē, uelle prius ditari, quàm philoſopheris. Itaq; nūc te id dare operā, ut in tota re grāmatica ne ſit te ditior alter: id ubi fueris conſecutus, deſiderio noſtro abūdè ſatisfacturum. Atqui iā id ſatis ſuperq; aſſecutus es: qui per omnē uitā quærēs, parcēs, tuū tuorūq;
defraudans

defraudans Genium, adeò rem familiarem auxeris, ut cenſum equeſtrē facilè ſuperes: ut iam poſsis in quatuordecim ſedere ordinibus, uel in ipſa orcheſtra. Tametſi neſcio quàm rectè iſtud præceperit Ariſtoteles, de prius ditando, quàm philoſophando: cum paſsim uideamus, diuites nihil minus quàm philoſophari. Te certè ſcimus omnes prius philoſophiam profeſſum, quàm diuitias haberes: ubi eas abundè ſis nactus, philoſophari deſijſſe: Trappolari nunquam. At uerò dices, tibi eſſe filios: quibus ſit res amplificanda, ne egeant. Atqui Socratem dicere ſolitū accepimus, non eſſe de filijs ditandis laborandum: quibus, ſi boni fuerint, atq; induſtrij, ſit nihil defuturum: ſin improbi & nequam, non eſſe illorum improbitatem & nequitiam fouendam. Sed agè ſanè, ut multitudini filiorum proſpiciendum ſit: tibi ubi filiorum multitudo? cui ſit unica tantum filiola: quam, niſi tu teſtamento fraudaueris, poſsit quiuis uir princeps ciuitatis fa-

cilè ſibi optare uxorem. Sed ego iam planè omnem argumentorū uim conſumpſi, tibi ut perſuadeam, uti tandem aliquando ſcribere incipias: non quidē unam atque alteram epiſtolam, uel carmine (ut ipſe ais) Horatiano: uel proſa oratione, ut aſſeris, Ciceroniana. Siquidem iſtud multo infra eius hominis dignitatem eſt, atque amplitudinem, qui quaſi Ariſtarchus quidam de alijs omnibus iudicet, paucifsimos admittat: multos, eosq́ue claſsicos authores explodat, ac de numero ſubmoueat, ceu linguæ Latinæ puritatem & mundiciem corrumpētes: ſed aliquod graue, ſerium, teipſo denique dignum argumentum ſuſcipias, dignum iſta ætate atque canitie, dignum poſtremò iſto iudicio, ac tanta de te hominum expectatione. Quod ſi ſurdo fabulam canimus (nam hic ſcio quid ſis ſolitus dicere, Nempe ut uelles, non poſſe, ut poſſes, te nolle ſcribere) uide ne hoc ſit potius laborem fugitantis, obidq́ue cauillo tergiuerſantis, quàm de ſe ipſo

modicè

modicè atque humiliter ſentientis. Verumtamẽ, ſi tu ita obſtinatè tacere pergis: idque tibi ſedet in animo, ut nihil ſcribas: eſtque iſtud rationibus tuis adiunctiſsimum: ſaltem illud impetrent à te homines de literis & linguis, addo etiã de moribus & uita optimè meriti, ut per te ſibi liceat ſcribere. Nam quæ inuidia eſt, quæ ipſe uel nolis, uel non poſsis præſtare, nolle ut alij faciãt? Etenim quid aliud eſt, quàm te nolle alios quicquam ſcribere, cum ipſe præcipis, nihil eſſe legendum, quod ab ullo ſcribatur? In quos enim uſus parabis argẽtum, quod nõ poſsis inſumere? cum alij uel purum putum, temerè clamẽt adulterinũ? Liceat igitur per te bonis & doctis uiris, aliquid mãdare literis: liceat uel prodeſſe hominibus, uel etiam delectare: liceat eorũ ſcriptis uerſari inter probos ac ſtudioſos adoleſcẽtes: liceat eſſe frequẽtes in manibus iuuenũ eruditorũ, quos cùm à ſe iuuari plurimũ poſſe in omni genere autumãt, tum ſciunt fore, ut eos multa fallant, uel

ad

ad dicendum, uel ad rectè, de rebus præſertim Chriſtianis, ſentiendum & iudicandum: qui ita ſunt à te perſuaſi, ut nihil putent ſibi eſſe legendum, præter admodum paucos ethnicos, quantumuis doctiſsimos & eloquentiſsimos authores. Hoc te rogant omnes bonarum literarum cultores, rectiq́ue ac ueri potius quàm auri atque argenti ſtudioſi. Hoc iſti à te petunt, poſcunt, poſtulant, orant, obſecrant, obteſtantur, efflagitant, exigunt, requirunt, cōtendunt. Vale.

REVE-

 845

REVERENDISSIMO patri Archiepiſcopo Nicoſienſi Liuio Podocataro Io. Iuſtinianus S. P. D.

COMMENTABAR nõ ita pridẽ, Præſul ampliſſime, Sermonem de uita & morib. diui Nicolai Smyrnæ Pontificis, eo conſilio, ut illo donarẽ adoleſcentẽ rebus omnibus ornatiſſimũ, Ioannem Paulum Podocatarum, nepotem tuum: ut is quãdo ad ſimilem, paremq́ dignitatem à bonitate ſapientiaq́ tua deſtinabatur, quã Diuus hic obtinuerat, haberet etiam à nobis hoc ueluti pignus noſtræ erga ſe beneuolẽtiæ. Porrò expectabã tempus illud, quod pietati tuæ cũ primis erat optabile, quo illũ ſacra infula præfecturæ Nicoſienſis, quam tu ſumma cũ tua dignitate, pariq́ laude iam diu obtines, cohoneſtares: ut ipſe quoque hoc qualecunq́ xenia-

xeniolum ad eam celebritatem quaſi nu ptiarum die cōferrem, quod quidem eſſet ei tanquam ſpeculum, quo ſacer ſponſus oculis Eccleſiæ ſponſæ ſuæ ſeſe ad imaginem diui Nicolai componeret, atq; ornaret. Quod equidē munus tam ei gratum fore arbitrabar, quàm perſpicuè uidebam ipſius animo nihil potuiſſe fieri iucundius: ut qui nullam aliam ad rem eſſet procliuior, quàm ad id, quod nos in hoc effigiando diuo elaborabamus. Verùm quando ita uiſum eſt torquenti ac moderanti cuncta DEO, ut immaturus atque acerbus tanti adoleſcentis caſus cogitationes noſtras omnes abrumperet: quod proximum fuit, eum Sermonem ad Ampl. tuam deferre, eiq; dicare uolui: cùm ut eadem opera & tibi in eum olim charitatem ac beneuolentiam meā oſtenderem, & in te perpetuā pieta

tem

tem & obſeruantiã probarẽ: tum certè, ut quãdo maiora nõ poterã, hoc meo uel ſtudio, uel officio, benignitati tuæ meã ali quãdo multorũ, opportuniſsimorũq́ tuo rũ in me beneficiorũ memoriã utcũq; re preſentarẽ. Equidẽ Pater optime, nõ ſum neſcius, hoc meum officiũ non tam pieta ti tuæ fore opportunũ, quàm futurũ fu- iſſet homini adoleſcẽti, ac tyroni, cui hoc quicquid eſt operis parabatur: idq́ potiſ- ſimũ, quũ tua ipſius uita potius alijs exẽ plar eſſe religiõis ac pietatis poſsit, quàm ut aliorũ exemplis egeat. Veruntamen habent hoc præclara excellentiũ uirorũ facta, ut quemadmodũ diſsimiles coar- guunt, obiectantq́ illis tacitè contraria uicia, ſimulq́ illos inuitant, ac ſæpe etiã pertrahunt ad eadem opera, quæ ipſi in alijs laudari ſentiunt, imitanda: ita ſimi les delectant, alacrioresq́ ipſos reddunt,

quum

quum ij uident in alijs laudari, quod i-
pſi faciunt: ſperantes utiq; fore, ut & i-
pſi quoq; ob eadem facta pariter aliquã-
do laudẽtur: aut, ſi id leuius uidétur, cer
tè quod eſt grauiſſimum, ac maximi o-
mnium momenti, eadem ſeſe præmia ſpe
rent adepturos, quæ parata fuiſſe uidẽt
ijs qui per eadem ueſtigia, in quæ ipſi in
ſiſtunt, ad immortalitatem peruenerũt.
Tu itaq; Præſul ampliſſime, non ut qui
his egeas, ſed qui ex his tanquã ex tuo
ipſius exemplari magnam ſis animo uo-
luptatem capturus, qua es animi beni-
gnitate, accipe hoc noſtrum in te quale-
cunq; amoris atq; obſeruantiæ monumẽ
tum: nosq́; ob tua in me ſumma perpe-
tuaq́; merita, tibi per omnem uitam ad-
dictiſſimos eſſe planè ſcias. Vale Pater
optime, & Iuſtinianum tuum ama-
re ac fouere perge.

847

DE DIVO NI=COLAO SMYRNAE

Pontifice, Io. Iuſtiniani Sermo.

CVM multa, Ciues, à priſcis illis morũ magiſtris, uitęq; inſtitutoribus bene ac ſapiẽter inſtituta ſunt: tum nihil melius, nihil omnino ſapientius excogitatũ eſt, quàm quod uitas ac geſta excellẽtium uirorum in literas mitti, memoriamq; eorũ propagari uoluerunt, ut & præſentes intelligerẽt eſſe parata uirtuti ſuæ pręmia, ſi quis idẽ pręſtaret, quod illi præſtitiſſent, & poſteri propoſita ſpe immortalitatis ad eandẽ gloriam decusq; contenderent. Hac nimirum ratione Alexandrum Macedonem Homeri de Achille præconium, hac Iulium Cæſarem Alexandri gloria ad immortalitatem accendit. Hac porrò de cauſa Ro-

mani Cæſares ſuos conſecrauere. Sic Theſeũ Athenienſes, Perſæ Cyrũ, Thebani Epaminundam, Lycurgum Lacedæmonij, Pythagoram Samij celebrarunt: ſic denique Creta Iouem, Tyburtes Herculem, Delphi Apollinem, Getæ Martem, Bœotij Neptunum, Theſpij Cupidinem, Aeſculapium Epidaurij immortales fecerunt: ſic præterea multis apud multas nationes diuini honores ſunt conſtituti. Quod ſi qua natio, ſi qua gens unquam quenquam tulit, qui numero cœlitum adſcribi meruerit, cuius memoria omnibus monumentis in omnia ſæcula eſſet propaganda, ea profectò eſt Chriſtianorum: in his uerò cùm multarum gentium aliarum, tum Græcorum præcipuè ac Latinorúm, quæ quidem nationes duæ quemadmodũ olim gloria rerum præclariſsimè geſtarum terras, ſic à CHRISTO redemptore de medio ſublato cœlum ſanctorum meritis referſerunt. & priores quidem illi ſæpenumero eos honores hominibus decreuere, non

quos

848
quos ipſi meruiſſent, ſed quos aut ſtudium deferentis tulit,aut error uoluit, aut ambitioni placuit eorum qui in demortui locum ſucceſſerãt. Vnus enim quiſq; (ut ait uir pietate & facũdia inſignis Lactantius) uolebat eum, quem ipſe teneret,locum uideri quàm honeſtiſsimum:aut certè ij,qui ex ipſis prognati eſſent,ut diuina ſtirpe nati uiderentur,diuinos honores parentibus detulerunt, atque ab alijs deferri uoluerunt. Poſſem huc afferre multorum exempla,qui quũ uix inter homines locũ teneredebuiſſẽt,eosin cœlo regnaſſe legimus, niſi breuitati cõſulerem: ea que ſcirẽ magis eſſe quærẽtibus obuia, quàm ut indigeant indicio orationis meæ.Iã quicunq; illi fuerint,quos cœlo dignos antiquitas iudicauit, nõ admodũ laboro:ac multo etiam minus cũrãdũ arbitror,quib⁹ ea de cauſis adducta id fęcerit. certè quicũq; inter Chriſtianos ab orthodoxa Eccleſia in cõſortiũ cœlitũ adſcriptus eſt , nemo fuerit tã impius,ut neget eũ ſummo iure eſſe

relatum in cœlum, atque in Diuorum adſcriptum numero, uel quia id non factũ ambitione ulla eſt, ſed iure meritorum: non errore hominum, ſed ſpiritu ſancto authore: uel quia nõ ob res cum cuiuſquam iniuria, ſed ſumma cum æquitate, iuſtitia, clemẽtia, liberalitateq́; coniunctas: quibus quidẽ rebus effectũ eſt, ut illi & dum uiuerent, ingentẽ laudem meruerint: & uita functi, cœli gloriam ſint conſecuti. Sed enimuero, quẽadmodum de ipſorũ immortalitate minimè eſt dubitandum, ſic illud non modò mirandum, uerumetiam dolendum interdum uideri ſolet, quòd (ut ait uir bene doctus & pius, Ludouicus Viues Valentinus, magna mihi olim amicitia familiaritateq́; coniunctus) quum geſta Annibalis, Scipionis, Pompeij, Cæſaris, aliorumq́; ducum, Socratis, Platonis, Ariſtotelis, aliorumq́; philoſophorum acta, tam diligenter, tanta cura perſcripta ſint, ut ea nulla ſit unquam deletura obliuio: acta Apoſtolorum, Martyrum, denique Diuorum noſtræ re-

849
religionis, & ipſius, uel creſcentis Ec cleſiæ, uel iam adultæ opera, denſiſſimis tenebris obducta ferè ignorētur: tanto ſiue ad cognoſcendum, ſiue ad imitandum, quàm Ducum aut Philoſorum, fructuoſiora. Nam quæ de ijs ſunt literis prodita, pauca admodum inuenias tam ſincera, ut non ſint multis cōmentis corrupta: dum qui ſcribit, affectui ſuo indulgens, nō quę egit Diuus, ſed quæ ille eum uellet egiſſe, exponit: ut uitam dictet animus ſcribentis, non ueritas. Hactenus Viues. Porrò hinc fit, ut res geſtas Diui Nicolai ſic habeamus uel truncas, uel commentis fœdatas, ut ſi quæ iudicem uiſum iri uero ſimilia, ea tantū dixero, uerear ne nimis tenuis & exilis, ac ieiunus, denique parum idoneus tanti uiri laudator exiſtimer. Sin autem illa omnia perſequar dicendo, quæ de illo circunferuntur, dubitem, ne fidem ijs quę uera ſunt eleuē. Sedenim malo de ingenij ac eloquentiæ fama, quàm de fidei ac ueritatis malè cuſtoditę opinione in dubiū uenire.

Dicam igitur hodie de Diuo Nicolao pauca, ciues, eaq́; non incredibilia, aut enormia, ſed quæ cùm fieri potuerint, tum ea quoque quæ in alijs incredibilia uideri poſſent, ab eo & fieri potuiſſe & facta etiam eſſe, incredibile nemini eſſe uideatur. Tum uerò non ea in medium adducam, quæ aures ocioſas iocis rerum, aut uerborum picturis, denique lenocinio ullo demulceant: ſed quæ ſimplici oratione pias hominum mentes ad rectum bonumq́ue queant allicere, ad uirtutẽ accendere, ad Deũ extollere, nósq́ue illi indiſſolubili nexu cõiungere, ut ſoluti ex hoc uitę carcere, unà cum illo in perẽni gloria æuo fruamur ſempiterno. Sed iam rẽ ipſam, Chriſto auſpice, aggrediamur. Iam primum omnium ſatis conſtat, Diuũ hunc Nicolaum apud Pataram urbẽ Lyciæ, ſiue (ut alij malunt) Pamphylię ortũ fuiſſe. Fuit autem ea ciuitas olim regũ Lyciorum metropolis, Apolline ipſo clara, à qua is etiã dictus eſt Patareus. In ea igitur tam lauta & nobili ciuitate

paren-

parentes Nicolai auitis opibus & nobilitate cumprimis floruere, idq;(ni fallor) anno circiter quinquageſimo ſupra tercẽteſimũ à Chriſti ortu, circa Valeriani Imperatoris, & Gallieni filij tẽpora: qui fuit tertius ac trigeſim⁹ à Cęſare Dictatore Imperator. Sunt porrò, qui ad Conſtantini tempora eum reijciant, qui anno fermè L X, poſt Gallienum rerum potitus eſt. Cæterùm quũ pater Epiphanius iam grandis natu, de uxore ſtirpem nullam ſuſcepiſſet, ob idque ambo ſobolem propè deſperaſſent, hanc tãdem precibus, lachrymis, eleemoſynis, ieiunijs, uotis deniq; cõmunibus à Deo impetrant: polliciti, ſi filium tollant, diuinę maieſtati dedicaturos eum, ipſiusque ſacris rebus initiaturos. Nec diuina bonitas tã pijs uotis diu abeſſe ſuſtinuit. Itaque ſuſceptum filium, ſacro fonti admotum, uocant Nicolaum: quod nobis nihil aliud ſonat, quàm uictorem, ſiue expugnatorẽ. ut iam tũ ex ipſa infantis nomẽclatura intelligi poſſet, qualis uir is eſſet

futurus, quem parẽtes tot uotis ac pre-cibus à Deo impetratum, ſic nominaſ-ſent. Sunt interim qui affirment, ma-trem, dum uterum ferret, ſibi per quie-tem uiſam, ſe in altiſsimi montis cacu-mine aquilam ex ſeſe párere, quæ ma-gnam auium multitudinem undiq; ad-uolantium circum ſe haberet, quibus ípſa multo maximam prædę partẽ relin queret innoxia. quæ diu monti illi cum inſediſſet, alis ſubnixa, cœlum ſublimis peteret, neque amplius conſpiceretur. Sed de ſomnio nihil laboro, tametſi id credibile eſt, ſicuti poſtea docebimus. Cæterùm pater filium enutriri magna diligẽtia iubet, ut quem Deo uouerat, Deo etiam dignum efficeret: aliàs non ignarus, uir pius, eam eſſe debere parẽ-tibus omnibus curam, ut non putent ſa tis eſſe liberos ex ſeſe gignere, niſi etiã dent operam, ut ij ritè educẽtur. Alio-quiDei munere uideatur abuti, qui pro lem illius munere ſuſceptam excolere negligat, atque ornare: haud aliter ſa-nè, quàm ſi quis indiligens paterfami-liâs,

liâs, quum aut domum incolẽdam, aut agrum fruendum precariò acceperit, ea ſitu & ſquallore corrumpi ſinat. Itaque pater filium non nutrici mandat, ſed ipſi matri alendum tradit: utpotè intelligens uir prudentiſsimus, nutriendi tædium à nullo uel libentius ſuſcipi, uel patientius deuorari, quàm ab ipſa quæ peperit matre. Datur huic ergo nutriendus ac fouendus puer: quæ quidem haud minus libens filium pectori admouit, quàm lęta eum ex ſe natum uiderat: nimirum quòd mulier cordata intelligebat, ueluti dimidiatum matris genus eſſe, peperiſſe, ac ſtatim fœtum ab ſe abieciſſe. At ô inenarrabilia iudicia Dei. Tantulus puſio, ueluti charitatis maternæ conſcius, quaſi iam tum uix natus, uix in has luminis oras editus, intelligeret, quid à matre ſedula ſibi præſtaretur officij, ut par pari referret, ac ueluti pro beneficio pietatem reponeret, bis in hebdomade, uidelicet quarta & ſexta feria, maternis mammis non niſi ſemel in die ope-

 ram

ram dabat. Quod equidem cunctan-ctius dicerem, ne cui magis ex affectu meo, quàm ex ipſa rei ucritate uiderer dicere: niſi me huc pertraheret Eccleſiæ ipſius authoritas, cui non credere ſtultum ſit atque improbum, repugnare ſceleratum atq; impium. Quòd ſi nulla hic mihi ſeſe interponeret authoritas Eccleſię (nam ſcio quid à quibuſdam dici ſoleat) illud tamē faceret abſtinentiam illam ueram fuiſſe ut crederem, quòd uniuerſa ſanctiſsimi uiri uita ſic huic miraculo reſpondit, ſic huic prodigio fuit conſona, ut quum illa omnis fuerit rara adque admirabilis, eius incunabula talia fuiſſe minimè abſonum eſſe uideatur. Quod ſi non inficiamur, Diuum Dominicum Calagurritanum, in locis matris in morem canis latraſſe (quod etiam dictum eſt de Diuo Vincentio Ferrerio Valentino, utique ad præſagium atque oſtentum eorum, quæ ipſi pro grege Domini excubantes aduerſum lupos, nempe ethnicos & hæreticos, doctrina & eloquentia

quentia ſtrenuè fortiſsimeque geſſe-
re) ſi hæc inquam paſsim admittimus,
atque affirmamus: quid eſt tandem
cauſæ, cur quiſquam dubitet, Diuum
Nicolaum epiſcopum lactis abſtinen-
tia ſignum illud futuræ charitatis, pie-
tatis, continentiæ, uirtute diuina edi-
diſſe? Quid autem, ſi illud etiam eſt
factum diuinitùs, quòd eoipſe die, quo
natus eſt puer, dicitur inter abluentiũ
manus erectis pedibus in pelui ſtetiſ-
ſe: quod quidem facilè illius futuræ re-
ctitudinis, fortitudinis, conſtantiæ ſi-
gnum uideri potuit. Nam quid neceſ-
ſe erat infantem tenellum atque inge-
niculum erigi pedibus, ac ſtare in pel-
ui: niſi ex eo magnum aliquid, rarum,
ſtupendum, admirandum portendere-
tur? Quod ſi exempla hæc parum nos
mouent, non'ne Ioannes Baptiſta pro-
dromus, ſeu præcurſor atque ante-
ambulo Domini, agnito ad ſeſe ue-
niente orbis uindice atque aſſertore
CHRISTO, idque neutro ipſorum
adhuc nato, in utero matris exiluit?
adeò

adeò ut hæc ipſa ſtatim afflata diuino ſpiritu, uenientem ad ſe Mariam protinus matrem Domini ſui appellauerit: idq́; potiſsimum, cum ea nondum an Maria uterum gereret, ſcire ullo modo potuiſſet? Atque ut altius repetam, non'ne Iacob, & Eſau, apud Iſraelitas dicti ſunt in eadẽ matris bulga de primatu cõtendiſſe? qui quidem in eo conſiſteret, ut uter eorũ prior in lucẽ hanc exijſſet, ei iure ſucceſsionis hæreditas adiudicaretur? (id quod apud aliquas nationes hodie quoq; eſt frequentiſsimum.) Niſi ſi quibuſdam nimium philoſophis, ea quæ ſunt in diuinis literis uidentur leuiora, ſua uidelicet ſomnia plus nimio amantibus, ſeque ipſos exoſculãtibus, ſeu uerius exoculantibus, dũ lumen neſcio quod naturæ ſibi uindicant, citra æmulũ reliquis omnibus eo priuatis, quod Deus omnibus in cõmune dedit, ut eo potiſsimum ueritatem agnoſcerent: quæ non niſi una ſimplexque eſſe poteſt, nullis indigens fucis, aut præſtigijs: quæ niſi ſola fidei lu

cerna,

cerna, manu rationis geſtata, ueritatiq́; ipſi admota deprehendi, aut comprehendi minimè poteſt. Sed de hoc fidei naturęq́; lumine libenter ſim author omnibus ueritatis ſtudioſis, qui nō tam receptis opinionibus quàm ratione ducuntur, ut legant librum Ioannis Ludouici Viuis, uiri doctiſsimorum iudicio doctiſsimi, de Corruptis diſciplinis, quintum: & uidebunt, quàm longè fallantur ij, qui putant Ariſtotelem naturæ lumine ueritatē deprehēdiſſe: quámq; iſti errent, qui oculis clauſis clamāt, eum qui contra uel Ariſtotelem quicquam, uel Abenroem ſentiat, ſacrilegiū in naturā admittere. Sed redeo ad miracula. Porrò ut iſti intelligant, non ea ſine numine diuino fieri, illud eos uelim uel memores monuiſſe, utique non modò inter Chriſtianos & Hebręos, uerùm etiam apud gentes nō inſolens fuiſſe, ut quorum uita magnam aliquā orbi eſſet allatura ſiue commoditatem & frugem, ſiue calamitatem & perniciem, eorum ortus uel ipſa etiam infan

tia

tia prodigioſum aliquid inauditumq́; portenderet.id quod legitur de Zoroaſtre Bactrianorũ rege,qui tantus aſtronomus ac magus futurus,à riſu,qui ante quadrageſimũ diem nemini datur,uitæ ortum auſpicatus eſſe dicitur : eóque ipſo die riſiſſe, quo eſt editus. & Platone, cui in cunis dormienti apes ad os mellificaſſe, futurę uidelicet inſignis eloquentiæ præſagium,à magnis authoribus proditum eſt memoriæ. Idem dictum de poeta Steſichoro, cui puero dormienti in ore luſciniam ſuauiter ceciniſſe,ſunt qui memoriæ mandarint.Iam Seruio Tullo in cunis ſomnum capienti (ſi Romanis annalibus quicquam credimus) non´ne flamma circum caput cœlitùs affulſit?ſignũ atque oſtẽtum,fore ut è ſeruitute, in qua natus erat,ad ſummũ Imperium aſcenderet?Iam uerò Alexãder ille Macedo, non tam quidem magnus, quàm orbi peſtilens,quo die natus eſt, non´ne tẽplum Epheſiæ Dianæ conflagrauit?audit aq; eſt uox illa miſſa diuinitùs, meri

tò

854
to illius templum arſiſſe, quæ tam diligenter obſtetricata fuiſſet Alexandro? Sacerdotibus Deæ clamantibus, palmisq́; faciem cædentibus, miſerádisq; modis ſeſe afflictátibus, quòd diceret, eo die ingentem ex illo incendio cladem uniuerſæ Aſiæ portẽdi? Sed quid ego ueterum exempla prodigiorum cõmemoro, quorũ numerus iniri uix poteſt? Vt iam pudere debeat eos ſuæ uanitatis, qui adimant ea Chriſtianis, id eſt, ijs quibus numen diuinum peculiariter fauet, quæ Barbaris gentibus atq; ethnicis fuiſſe permiſſa, minimè inficiantur. Tametſi ea nõ uera miracula fuere, ſed præſtigiæ dæmonum: id quod facilè intelliget, quicunque legerit librũ ſecundum Ludouici Viuis de Veritate fidei Chriſtianę, de miraculis Chriſti & dæmonum. Tametſi ego, uel meo cum periculo, non conceſſerim modò, uerumetiã contenderim, miracula gentium diuino conſilio à dæmonibus fieri fuiſſe permiſſa: tum ut miraculis aſſueti, quib9 facilè ad credendũ adduci homi-

homines ſolent, eo procliuius crederent poſtea uera CHRISTI miracula, quum multo maiora, magisq; admiranda fieri ab eo uiderent, quàm uel ui diſſent unquam, uel fando audiuiſſent: tum etiã, ut ubi animaduertiſſent eius poteſtati diuinę ac cœleſti cedere deos illos, quibus authoribus ea miracula fieri credebant, omnemq́ue illorũm po tentiam haud aliter ante Chriſti potentiam euaneſcere, quàm ad Orientem ſolem minora ſidera fugantur atque extinguuntur: relictis dæmonibus, uerum atque unum Deum uotis atque animis propenſiſsimis amplecterẽtur. Sed unde digreſſa eſt, eò ſeſe recipiat oratio. Ergo ubi primùm puer ad id ętatis peruenit, ut bonis artibus eſſet in ſtituendus, quæritur illi à parentibus præceptor idoneus, à quo pariter mores ac literas diſceret, quæ malè ſine moribus diſcuntur. Quem ubi nacti ſunt doctiſsimum, formandæq́ue pueritiæ peritiſsimum, nec minus pietate inſignem, ac moribus probatum & gra

uem,

uem,huic puerum erudiēdum,formandumq́; tradunt,ipſiusq́ue fidei ac diligentiæ committunt. Neque uerò deſuit tā egregijs incœptis uel pueri ſtudium, uel præceptoris diligentia, uel diuini numinis auxilium:quibus rebus effectum eſt,ut breui ſic in omni genere literarum proficeret, ut quū omnes omnia ab eo expectarent, omnium tamen ſpes uinceret, uota ſuperaret,expectationem præuerteret. Interea amiſsis morte naturali parentibus(quibus dū uixerant, omnia pietatis uel ſtudia uel officia diligentiſsimè præſtiterat) cum eò perueniſſet tū ætatis, tum prudentiæ, ut uitæ huius breuitatem agnoſceret: quamq́ue hęc omnia quæ mundus miratur,fluxa, caduca, incerta,imaginariaq́ue eſſent, facilè intelligeret:de immortalitate uitæ,deq́ue bonis nunquam terminandis ſibi eſſe etiam atque etiam ſeriò conſiderandum exiſtimauit. Itaque illud propheticum ad omnia uitæ munia ſibi propoſuit: Beati qui ambulant in lege Domini.

Hoc dictum ita probauit, ut perpetuò ſeruarit. ita uerò ſeruauit, ut hãc unam eſſe diceret omnium rectiſsimam expeditiſsimamq́ue in cœlum uiam. Iam uerò quum ſciret illud eſſe uel præcipuum mãdatũ in lege, Vouete ac reddite: & illud, Melius eſt obediẽtia quàm uictimę: recordatus parentum de ſe uoti, ſacris ſeſe addicit, atq; ijſce maturè initiat. ubi ſic uitę in eo puritas, ſic morũ mundicies enituit, ſic mãſuetudinẽ animi, comitatẽ, modeſtiã, tẽperantiã, cæterasq; manſueti benigniq́ue ingenij dotes omnibus planè probauit: ut non modò ſummo omnium conſenſu, uerumetiam incredibili ſtudio, atque applauſu totius populi, Smyrnæ, celebratiſsimæ olim ciuitatis (ea eſt in minori Aſia, quam fluuius Melas circumfluit) electus fuerit Archiepiſcopus. Porrò cum in ea ſe dignitate conſtitutum uideret, ad quam uocatus à Deo fuerat, eius exemplo edoctus, non rapinas meditatus eſt: ſed animo reputans, ab eo ſibi delegatum munus non hæredi-

hęreditariũ eſſe,ſed ipſius fidei cõmiſſum, poteſtati creditũ, miniſterio impoſitũ,ſic illudadminiſtrauit,ut omnes eum non magis rem ſuam agere,quàm communem, facilè intelligerent. Non enim plura inde ſibi ſumebat, quàm quæ illi eſſent ad uitam modeſtiſsimè agendam maximè neceſſaria:cętera pupillis,uiduis,denique pauperibus, quibus illa iudicabat ex ipſo iure legati deberi,erogabantur. Ad hæc Apoſtolici illius præcepti haud immemor,Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe oportere: ſumma diligentia cauit, ne ſe quis iurè reprehenderet. reprehenderet autem? immò nihil unquam fecit, ac ne cogitauit quidem, quod non eſſet omnibus, qui ex animo eſſe uolunt Epiſcopi, hoc eſt, Dei miniſtri, & bonorum eccleſiæ diſpenſatores, ad exemplum & imitationem propoſitum, ac ueluti ſcopus præfixum. Atque ut reliquas illius uiri uirtutes taceam,ut non dicam quanta fuerit lenitate in ſuos, benignitate in alienos,

(tametſi quis unquá illi alienus fuit?) quanta uerò in inferiores clementia, in ſuperiores obſeruantia, comitate in pares, bonitate in omnes: unicum uobis exemplũ proponam ipſius charitatis, Ciues: uos reliqua illius ſanctiſsimi uiri merita, pro ueſtra prudentia pendítote. Erat Pataræ ciuis honeſto loco natus, uitæq; diu inculpatę (nomini à ſcriptoribus eſt parcitum) huic ſumma egeſtate preſſo erãt filiæ tres, maturæ iá uiro, cæterùm dote caſſæ: propterea q; non innuptæ modò, uerumetiam illocabiles. itaque in ſquallore ac ſordibus contabeſcebát. Sunt qui dicant, patrem egeſtate atque inopia uictus coactum, de puellis proſtituendis cogitauiſſe: eaq; de re ſeriò cum quibuſdam iniuiſſe conſilia, qui re clàm ad Nicolaum delata effecerint, ut is patrem ad ſe accerſitum prę́ſenti pecunia iuuerit, filias denique maritandas curarit. Cæterùm ut de opera & charitate Nicolai conſtat, ita de inito conſilio, aut etiam de cogitatione tanti ſceleris, in medio

à me

à me relinquetur. Neque enim ego mihi id ſumam, ut uel negare auſim, quod iam diu eſt receptum: uel prorſus affirmare, quod adeò eſt enorme, ut laboret à fide. Illud ſatis conſtat: Diuum Nicolaum, cuius diligentia & ſolicitudo aſsiduè circa gregis Dominici cuſtodiam curamque uigilabat, cum miſerabilem hominis conditionem intellexiſſet, ad ſe illum accerſi iuſsiſſe: quaſique harum rerum inſcium, ignarumque omnium, interrogaſſe de familia, de re omni domeſtica, de liberis, & quod nam tandem eſſet conſilium hominis de puellis coniugandis. Hic aiũt patrem pudefactum, ac plorabundum, miſerum ac deteſtabile conſilium Pontifici, tanquam parenti amantiſsimo, detexiſſe: cum prius omnem illi ſcenam egeſtatis ac miſeriarum ſuarum aperuiſſet. Hunc uir pius amanter obiurgatum conſolatur, ac bono animo eſſe iubet: tum uerò admonet, ut is figat ſpem ſuam in Deo, mentemque omnem ad eum erigat: ſummaque fide

ac precibus ab eo petat, ut ſibi ſit auxilio, prohibeatque ne is ullum impium facinus in ſe admitteret. ad hęc pollicetur, atque adeò ad ſe recipit, ſi is pio affectu à Deo opem peteret, proculdubiò fore ut ab eo ſubleuaretur. interim illum à ſe pecuniola in pręſentem neceſsitatem donatum, abire iubet. At ille cùm pręſenti ope adiutus, tum uerò ſana admonitione correptus, atque in ſpem erectus, domum reuerſus, familię ſubuenit, ſolatur ęgram, afflictam erigit, iacentem ſubleuat, denique hortatur ad preces fundendas diuino numini. Obtemperatum ab omnibus imperio eſt: neque tamen protinus impetratum quod petebatur. Rurſus alio die, atque item alio, inſtant, fundunt preces, uota conduplicant, macerant ſe ieiunijs: quumque id ſępius feciſſent, neque tamen hilum proficerent, auxiliúmue ullum diuinitùs miſſum uſquam appareret: ijs iam ferè diffidẽtibus ac ſpe deſtitutis, Diuus ad ſe hominẽ iterum accerſi iubet, perçontatur, intelligit diffi-

858
diffidentiam: iterum hortatur bono animo eſſe, donatumque rurſum ab ſe dimittit. Quumque id ſæpius feciſſet, idque tum, ut eum familiamque ipſius ad pietatem erudiret, atque ad bene ſperandum à diuina benignitate aſſuefaceret: tum uerò, ne ipſi facilitate impetrati beneficij negligentiores redderentur: tandem illis noctu, per feneſtrã clatratam, in illius cubiculum immittit clanculum crumenam, cum pecuniæ tanto, quantum ei ſatis eſſe intelligeret ad unam filiarum matrimonio copulandam. Hoc ille argentum ubi reperit, lætus, actis Deo bonorum datori gratijs, ad Pontificem ire contendit: nunciataque illi re, quum ſeſe diceret tantum reperiſſe argenti, quantum ipſe iudicaret ſatis fore ut filias omnes percõmodè maritaret: hortatus eum ſãct⁹ uir eſt, ut unã tantũ ea pecunia nuptũ daret, rurſusq; ad preces & ieiuniã redirent: quod ſi id obnixius agerent, Diuinũ numen ijs abundè daturũ omnia, neq; ſuorum neceſsitatibus defuturũ,

Quid multa? Dum ille ad preces ſubinde cum familia reuertitur, atque hic argentum ſuggerit, nondum toto uertente anno, ille omnes filias maritis honeſtè collocat: itaq; illa ſe ſarcina liberat, qua neſcio an alia grauior ulla homini libero eſſe poſsit. Quid'nam uolumus amplius de Nicolai charitate, Ciues? quid de prudentia? quid de pietate? Quas hic polypus aliquis ſtruxiſſet inſidias paupertati puellari? quas machinas admouiſſet expugnandæ pudicitiæ, ruinam minanti? quam uir pius ſic firmauit labantem, ſic nutãtem fulcijt, caducam muniuit, ut in angulari lapide fundata CHRISTO, nullos deinde fortunæ impetus, nullos caſus, nullam ruinam pertimeſceret. Aut ſi quis fortè ita fuiſſet animatus, ut pudicitiæ periclitanti opitulari uoluiſſet, ſubuenireque illi miſero & calamitoſo ſeni, quàm patum fuiſſet ſollicitus de re occultanda? imò quàm ſollicitus fuiſſet, ne occultaretur? more ſcribarũ & phariſæorum, qui ad ſonitum tubarum ſti-

pem

859

pem erogabant, illud neſcientes: Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua. Hic mihi nodus incidit, ſanè quàm difficilis, Ciues: qui quidem nobis ab ijs nectitur, qui hunc locum ſic oppugnant, ut dicant bona opera, quò ſint alijs exemplo, nequaquam eſſe occultanda. Atque ad id afferunt alium Euãgelij locum, huic fermè cõtrarium: Sic luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant opera ueſtra bona, & glorificẽt patrem ueſtrum qui in cœlis eſt. Quæ ſanè uerba, quoniam ſunt ab eodem profecta ſpiritu, licet à diuerſis hominum organis pronunciata, haudquaquam contraria dici ullo modo poſſunt. Neque enim ſpiritus ſanctus, quo authore illa ſunt prodita, ipſe ſibi repugnat: ſed inſcitia hominum, ſiue etiam ingeniorum peruerſitas plerunque facit, ut ea quæ ſunt conſona, & mi rè conformia, diſſona, diſcordiaq́;, neque ſolum diuerſa, uerùm etiam aduer ſa eſſe uideantur. Neq; enim Lucas euangeliſta, cum præcipit ut noſtra bo-

na opera ſint nota hominibus, id agit, ut uelit ea nos apertè facere ad oſtentationem, & auram uulgi captandam. quid enim eſſet magis ethnicum? aut deniq; magis alienum ab homine Chriſtiano? ſed ita demũ uiueremus ex lege cœleſti, & doctrina Chriſti, ut cum alij nos uiderent, & actiones noſtras conſiderarent, mores inſpicerent remotos à turpitudine, coniunctos honeſtati ac uirtuti: cùm gratias illi agerent cuius beneficio tales eſſemus, tum ad eandem illi uitam amplexandam excitarentur. Rurſus cum Matthęus nos docet, ut occultè benefaciamus, non id agit ut benefacta uelit occultari, aut celata premi ac penitus defodi, alioqui undénam beneuiuendi exemplum peteretur? ſed huc prorſum tendit, ut uelit à benefaciendo tolli ſuperbiam, auferri ambitionem, pelli dolum, amoueri hypocriſim: quibus nihil in uita peſtilentius. Verùm hæc Theologis relinquantur. Nos ad factum Nicolai, conſiliumq́ue redeamus. Et factum quidem

dem audiuiſtis inſigne, admirandum, celebrandum, Ciues. Conſilium uerò illud mihi ſanè uidetur potiſsimum fuiſſe, non modò ut uir ſanctus inanis glorię ſuſpicionem ab ſe depelleret, uerùm etiam ut ijs de quibus bene mereri ſtudebat, non tantum proſpiceret in ijs quæ ad præſentem corporis neceſsitatem attinerēt: ſed etiam animę ipſorum conſuleret, eosque Deo redderet obnoxios, à quo ſe tot ac tantis beneficijs affectos uiderent: & cum uiderent, etiam meminiſſent, itaque bona nomina Deo fierent. Volebat autem uir ſanctiſsimus, operam quidem præſtiti beneficij ſuam eſſe, gratiam uerò illi potiſsimum deberi, cuius munere ſibi daretur, ut in alios eſſe poſſet beneficus, memor utique illius uerbi: Quid habes, quod nõ acceperis? aut quid eſt tibi, quod datũ nõ ſit? Hæc ſũt, Ciues, quæ mihi hodie de Diuo Nicolao dicenda occurrebãt: quæ ſi cui pauca, ſiue etiam parua uideãtur, is meminerit (quę in principio ſermonis huius p̃fati ſumus)

ſumus) nos non enormia, aut admiran da fuiſſe de illo dicturos: ſed ea tantũ, quæ ad exemplum pietatis, inſtitutionemque uitæ rectè & cum uirtute agendæ mihi facere uiderentur, nosque ad eam imitandam quoad eius fieri poſſet excitarent, atque inflammarent. Id quod erit procliue, ſi quis ea quæ huc ipſe pauca nudaq; attuli, conueſtiat, atque conſideret diligentius. Quod qui fecerit, inueniet hęc talia eſſe, ac tanta, ut multa ſuppeditare poſsint, cùm ad uitam hanc bene agendam, tum ad futuram immortalitatem expetendam, uel hortamenta, uel etiam incitamenta. Atque ut rimemur altius, quantũ bonum ſit ſobrietas, atque in uictu parſimonia: quas conſentaneum eſt Diuũ Nicolaum, qui tam tempeſtiuè incœperit, perpetuo tenore uitæ ſeruaſſe: quid? quantam illam, quamq; præclarã uirtutem eſſe arbitramur? Neque uerò eam ego nunc ſolam nudamque conſidero. Quid enim pręclarum habet eſurire? ſitire? algere? æſtuare? in quibus ſi quid

quid boni ineſſet, id totum foret inopum, ſordidorum, ac mendicantium: ſed frugalitatem illam, ac temperantiam dico, quæ eſt quædá in rebus natura expetendis, fruendisq́;, ſiue continentia, ſiue abſtinentia: quæ quidem initium ac uires, ueluti flumina è fontibus, ducit à ſobrietate, ac uictus moderatione: quæ non in eo ſita eſt, ut quis alijs diebus cibo abſtineat, alijs crapula uinoq́; ſe diſtẽdat ac obruat: ſed perpetuo tenore uitæ, ita uictu ſibi temperet, ita moderetur, ut ne qua labes ſuboriatur animo, ne'ue ulla mala ualetudo concilietur corpori, quo minus id animi munia obire poſsit. Sed quando, iuxta Philoſophi ſententiam, contraria ſibi inuicem oppoſita clarius elucent: ſi neſcias quantum ſit bonum ſobrietas ac temperantia, ebrietatem, ingluuiemq́ue conſidera. Iá primùm omniũ, ſi ad corporis ualetudinem ſpectes, plures occidit gula, quàm gladius: ſi ad rẽ, omnia uertit in fumum & cinerem: ſi ad honorem, quid turpius? ſi ad animum,

quid exitialius? ſi ad bonam mentem, quid dementius? Atque ut de corporis ualetudine pauca dicamus, profectò cibus aut nimius, aut exquiſitus, & elaboratus, nulli neque ætati, neque ſexui, neque fortunæ, neque profeſsioni conuenit. qui cùm omnibus facilè noceat: tum potiſsimum pueris & adoleſcentibus, in primiſque ijs qui literas colunt, quique omnino aliquam ex animo nauant operam, eſt maximè noxius. Nam cùm corpus effœminat, tum animi uires frangit: qui quidem, ſi Platoni, ſi Ariſtoteli, ſi Varroni, ſi Galeno credimus, è corporis qualitate ac temperatura (quam Græci κράσιν, nos cõplexionem Barbarè dicimus) affectiones atque impulſus proculdubio ſumit. Ac ne moremur diutius in parte hac, audiamus quid Galenus, tantus naturę indagator, affirmet, in eo libro cui titulum fecit, Corporis temperaturam animi motus ſequi. Cæterùm, inquit, quantum animus corporis uicio ſeruiat, euidenter in atra bili, & phreniti-

de

de apparet: ſiquidē in morbo neq; ſe-
ipſos ægroti, neque familiares agno-
ſcunt. Hæc ille, de uicijs animi ex affe-
ctione corporis ductis. Videamus nūc
apud eundem Galenum, an corpus i-
pſum ex cibi ac potus ratione quicquā
afficiatur. inquit enim in eodem loco:
Hoc pro certo habemus, quod nutri-
mentum, quod deglutiendo in uentri-
culum demittitur, ibi prius cōficiatur:
deinde per uenas in epar deductum,
humores in corpore generet, unde o-
mnes corporis particulæ alimenta ſibi
ſumāt. Quare ad mentem redeant ij tā
dem, inquit, qui alimentis hos tēperan
tiores, illos diſſolutiores, alios inconti
nentes, nōnullos frugales, manſuetos,
modeſtos, alios cōtentionis rixęq; ſtu-
dioſos reddi poſſe, ęgrè permittunt.
Quod ſi cui Galeni hoc argumentū ui-
detur dilutius, audiat M. Varronē, Ro-
manorū ſine cōtrouerſia doctiſs. is.n
apud A. Gelliū, Pueros impuberes cō
pertū eſt (inquit) ſi plurimo cibo, nimió
q; ſomno uterētur, hebetiores fieri: ad
uertimusq;

uertimusque hinc elici tarditatem ingeniorum, corporaque minus procera fieri, minusque adoleſcere. Hęc Varro. Sed idem Galenus in libris de Tuenda ualetudine, author eſt, nullos aliunde morbos, neque plures, neque grauiores, quàm ex ingluuie ciborum, perpotationibusque contrahi. Ex cibis enim fomenta libidinum, atque irritamenta: ex his uerò ægritudines, ac morbi ſę uiſsimi atque inſanabiles oriuntur. Libidinoſa, inquit Orator, & intemperans adoleſcentia, effœtum corpus tradit ſenectuti. Salomon, Vinũ (inquit) & mulieres ſubuertunt ſapientes, & arguunt ſenſatos. Clamat Apoſtolus: Nolite inebriari uino, in quo eſt luxuria. Diuus Hieronymus: Omnis caro, inquit, deſpumat in coitum. Nemo eſt denique paulo ſanior, quin intelligat, quàm ꝑnicioſa res ſit ingluuies, quàm peſtilens temulentia, quàm non ſolum noxia, uerùm etiam lethalis cruditas? & tamen quotuſquiſque ijs gratis abſtinet? quis non dominum uentrem li-

benter

863

benter audit? quis ei, modò poſsit, non prę ſtò eſt? Quam multi ſunt, imò quàm pauci ſunt, qui languentem ſtomachũ, ac redundantia nauſeantem, potius inedia & uacuitate curandum, quàm uel uomitionibus, uel medicamentis & deiectionibus, uel (quod deterius eſt) exquiſitioribus obſonijs excitandum putent? Nec in paralyſes ſolum, & apoplexias, & id genus innumera morborum genera incidunt helluones iſti, ac uinolenti: uerùm etiam id plerunq; ijs accidit, ut in ipſa cœna, atque inter immania illa pocula, fœdam ac fœtentem exhalent animam. id quod dictum eſt ab Euſebio Cæſarienſi, de Aphro Domitio, qui nimia cibi potusq; redundantia diſtentus in cœna perijt. Archeſilas immodico uini hauſtu præfocatus interijt. Lacydes ex nimia compotatione incidit in paralyſim, qua extinctus eſt. Alexander Macedo uino percitus, amicos inter ſcyphos & pocula occidit. Cãbyſes rex à Præxaſpe familiariter admonitus, ut ab ebrietate ſibi caueret

ueret,indignatus admonitionem, filiũ monentis iaculo confodit.Sed de corpore atque animo hæc: illa uerò de re, atque dignitate. Equidem uel meo cum periculo auſim affirmare, neminem unquam fuiſſe gulæ uentrique indulgentem, qui aut rem fecerit, aut ad aliquem uel honoris uel dignitatis gradum peruenerit:multos autem & olim inuentos,& quotidie paſsim haberi obuios, qui ex ampliſsimo patrimonio, ſummis diuitijs, honeſtiſsimo loco dignitatis, quam uel ipſi ſibi parare, uel à maioribus partã retinere potuiſſent, ad ultimam egeſtatem,ſummam turpitudinem,extremam calamitatem & miſeriam ſint delapſi. Qui diligit epulas (inquit Solomon) in egeſtate erit: & qui amat uinum & pinguia, non ditabitur. Sed parum ualeat authoritas, niſi adſint exempla. An igitur expectatis, dum uel Aeſopi tragœdi patinas,liquefactosque aceto uniones uobis commemorem? uel Phoci, Apitijque helluata ſplendidiſsima patrimonia? Cer-
tè

tè hic cum ſexcẽties ſeſtertiûm dediſſet uentri (ea ſumma facit quindecies centena aureorum millia) ſupereſſent autem illi adhuc ducẽta millia, quibus uiuere uel lautiſsimè potuiſſet: tamen, quòd ſibi uidebatur ægrè poſſe tantula pecunia uentris ac libidinis explere uoraginem, uenenum hauſit. Sed hic bene decoro perſonæ, atque honeſtati (ſi quid tamen illi unquam cum decoro atque honeſtate fuit) ſed tamen hic utcunque ſibi conſuluit, qui ſeſe hominum deriſui, ſannisque ſubduxerit. At Phocus Athenienſis, Phocionis egregij ciuis filius, quum ampliſsimum patrimonium ſcortis, ganea, pergræcationibus abliguriſſet, omnibus ſuis ciuibus ludibrio ac deſpicatui habitus eſt: nec immeritò. Quis enim ſanus non eos irrideat, ac deſpiciat, qui quum & commodè agere, & honeſtiſſimo loco eſſe inter ſuos facilè poſſint, id unum per libidinem & luxum agunt, ut turpes ſint & calamitoſi? quorum inſana miſeria eo calamitoſior eſt,

quo turpior: tāto miſerior, quanto miſe ricordia indignior. Cæterùm dignitas perſonarum, ac fortunæ ſplendor, exigit aliquando, ut & magnificentius res agatur, & luxui etiam nōnunquam ſeruiatur. Eſto ſanè, ut ne ſemper parcè aut circunciſe rem agere uideamur. De mus aliquid ſplendidius ac magnificen tius dignitati perſonarum, opportunitati rerum, rationi locorum ac temporum: attamen in luxu ac prodigentia quæſo quid poteſt eſſe dignitatis? Quā enim laudem habere poſſunt, ſtultorū Principum inſanæ profuſiones? præſertim quum ab ijs ad expilationem ſuorum, ac tyrannidem cōuertuntur? Profudit Nero in ludos & ſpectacula, in ſcurras & pantomimos, quanta principum nemo. At idem magiſtratibus in prouincias cum imperio proficiſcentibus, illud ſubinde in aurem inſuſurrabat, Scis quid mihi opus ſit? Fac ut ne quis, quid habeat. Caligula, huius auūculus, quum uicies ſepties millies ſeſtertiûm (quæ ſumma facit ſexaginta

ſeptem

ſeptem milliones, ſupra quingenta aureorum millia) quos à Tiberio Cæſare ſibi hæreditate relictos, nondum toto uertente anno, ſtultè, luxurioſeque prodegiſſet, ad id ueſaniæ deuenit, ut defectus opibus, quas per turpitudinē dilapidarat, ad rapinas & cædes promiſcuas honeſtiſsimorum ciuium conuerteretur. Omitto Claudios Tiberios, Vitellios, Domitianos, Commodos, Heliogabalos: quibus omnibus, ut idem ferè tenor uitæ luxurioſus & intemperans, ita & exitus fœdus & calamitoſus fuit. Certè famam, quam ſibi per aſpera & iniqua præcipites quæſiuere, ꝓbroſam ac deſpicatiſsimā ſunt cōſequuti. Nūc audi laudes cōuiuij luxurioſi. Videres, inquit Cicero in Antonium, alios intrantes, alios exeūtes, alios externo uino uacillantes: humus erat lutulenta immunda illuuie, coronis languidulis, & ſpinis cooperta piſcium. Porrò quæ laus nequitiæ? Rectè admones. Tu, inquit, iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius

corporis firmitate, tantũ uini in Hippiæ nuptijs exhauſeras, ut tibi neceſſe eſſet in populi Romani conſpectu poſtridiè uomere. Idemq́ue rem exaggerans: O rem (inquit) non modò uiſu fœdam, uerùm etiã auditu: ſi inter cœnam, in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidiſſet, quis non turpe diceret? In cœtu uerò populi Romani, negocium publicum gerens, magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet, is uomens fruſtis eſculentis uinum redolentibus, gremium ſuum & totum tribunal impleuit. Sed hæc de crapula, & ebrietate. Illa de luxu & prodigentia: Quę charybdis tam uorax? charybdim dico, quę ſi fuit, fuit animal uiuum. Oceanus mediusfidius uix uidetur tot res, tam diſsipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam citò abſorbere potuiſſe. Nihil erat clauſum, nihil obſignatum, nihil ſcriptum. Apothecæ totæ nequiſsimis hominibus condonabantur: alia mimi rapiebant, alia mimę. domus erat aleatoribus referta, plena ebrio-

ebriorum.totos dies potabatur, atque id locis pluribus:ſuggerebantur etiam ſæpe(non enim ſemper iſte fœlix) dāna aleatoria.Conchiliatis Cn.Pompeij periſtromatis,ſeruorum in cellis lectos ſtratos uideres. Quare deſine mirari, hæc tam celeriter eſſe conſumpta. Nō modò patrimoniū, quamuis amplum, ut illud fuit, ſed urbes & regna, tanta nequitia deuorare potuiſſet. Hęc Cicero, de profligatiſsimi M. Antonij luxuria. Imò hæ ſunt laudes,hæc præconia hominum luxu perditorū. Quid igitur? dicet hic aliquis:es´ne tu nobis author tenacitatis, aut ſordium? Mini mè id equidem.quaſi uerò nihil ſit mediū. Etenim, ut Poeta neſcio quis ait,

— Non ego auarum
Cum ueto te fieri, uappam iubeo, aut nebulonē:
Sic ipſe contrà,
— Non ego uappam
Cum ueto te fieri, iubeo ſordeſcere uulgò.

Neq; uerò auar⁹ quiſquā, aut ſordid⁹, me aduocato ſibi patrocinabiť.Etenim ſcio quàm ſordidi quidam,ac ſibi malè

propitij, ſibi blandiantur: ſeque hoc amplectantur uno, quòd à prodigalitate quàm lõgiſsimè receſſerũt. At ego utrũq; uiciũ ęquè maximũ, maximeq́; deteſtandum iudico, ac modis omnibus fugiendum. Certè in opulento, ſi abſit iniuria, tolerabilior ꝑfuſio, quàm ſordes. Itaque nemo mihi ut auarus ſe probet: quando etiam Apoſtolus auaritiã idolorum ſeruitutem appellat, & malorum omnium radicem eſſe apertiſsimè conteſtatur. Certè ex diametro pugnat cum charitatis igne, quem CHRISTVS ſeruator humani generis uenit immittere terris: nihil aliud uolẽs, niſi ut arderet. Iã ad hæc uicia uitãda, non proponam uobis aliunde conquiſita exempla: non utique eorum qui ædificijs publicis, qui conſtituendis gymnaſijs, qui xenodochijs extruendis, qui templis, qui balneis, qui baſilicis, qui aquęductibus, qui ſtratis uiarũ, qui denique huiuſcemodi commodis atq; ornamentis publicis ciuitates illuſtrarunt. Non eos dicam, qui populos

los in penuria ſuis patrimonijs aluerunt, qui in ſuos benefici, in amicos benigni, in omnes liberales fuere: quorũ exempla innumera nobis occurrunt. nam & prolixitatis tædium uitandum eſt, & unum Diui Nicolai exemplum abundè nobis pro multis fuerit: ad quẽ iã noſtra ſeſe recipiat oratio. Is igitur, quum haberet domum non luxu diffluentem, non faſtu inflatam, non libidine profuſam ac perditam, non ſtrepitu, non canibus, non equis, non ſatellitio tumultuantem: ſed frugalitate ſobriam, modeſtia temperatam, authoritate cohercitam: denique cum in tota illa domo nihil eſſet admiratione dignum, non abaci, non aulæa, non ulla res aduentitia, quæ uel oculos paſceret, uel animum cuiuſquam ſollicitaret: ipſe ſolus ſic eam implebat, ſic ornabat, Ciues, ut nihil illo uno eſſet auguſtius, nihil uenerabilius, nihil quod magis eſſet ſuſpiciendum, atque admirandum. Malebat enim uir pius domũ domino, quàm dominum domo cenſeri. Fami-

lia uerò qualis talem herum decebat? ut non numeroſa, ita bene morata: ut non nimijs atque inconſideratis herilibus iuſsis anxia & ſollicita, ſic non ocio marcens & languida, ſed ſedula & officioſa: & ijſce rebus & ſtudijs occupata, quæ cùm herum cohoneſtarent, tum ſeipſos Deo probarent, eique gratos officijs, pietate, bonis operibus redderent. Quas cum ita tractaret, ut non magis dominum quàm patrem ſentirent: illi tamen ſic patrem agnoſcebant, ut dominum eſſe cum primis meminiſſent. Hos cum ita paſceret, ita ueſtiret, ut & commodi eorum, & decoris ſui rationem haberet: ſic tamen ſumptus domi temperabat, ut cura tum alendi, tum ueſtiendi, ne tota intra domeſticos parietes conſumeretur, ſed foràs quoque erumperet, atque in alios etiam ſeſe extenderet, ac diffunderetur. Vſque enim adeò erat memor illius dicti prophetici, Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem: ut nulla unquam dies illi uacua beneficio perierit,

rierit: more Titi illius Veſpaſiani, qui ob ſingularem animi probitatem, morumque elegantiam, orbis delicium dictus eſt: qui quidem eum ſe diem perdidiſſe queri ſolebat, quo die neminem ſibi ſuo aliquo beneficio demeruiſſet. Quam quidem facultatem Nicolao ſuppeditabant auitæ opes, opimumque ſacerdotium: tum uerò frugalitas illa, & parſimonia, quam diximus: qua uidelicet ſibi nonnunquam durus erat, & auſterus, quo dulcis alijs eſſe ac ſuauis etiam poſſet. Illud uerò aliquid, atque adeò multum ad eam rem etiam conferebat, quòd qui erant ex populo ditiores, moti exemplo & authoritate Præſulis (qui nihil ſibi, aut ſuis decideret, aut ſeponeret in poſteritatem) ad eum ſua ſtudia, curamq; animarum omnes deferebant, certatimque illi, quod erogaret in pauperes & calamitoſos, ſubminiſtrabant. Vt iam nihil aliud eſſet illis ſuus Antiſtes, quàm id quod dicitur, Pater omnium, ac depoſitarius, & fideicommiſſarius

rius tum neceſsitatum populi, tum etiam facultatum atque opum, ac ueluti quidam promus condus uniuerſorũ. Ex qua re illa ſequebantur omnibus cõmoda, ut non apud eum hic nauiter eſuriret, ille ſtrenuè potaret: ſed omnes proportione in ciuitate, quaſi in cœnobio quodam, ex æquo uiuerent. Atque eo ſanè pacto planè omnes ſeruiebant Euangelio. nam & ille diligenter paſcebat gregẽ Domini: & ex illis, qui habebant duas tunicas, dabant alterã non habenti. Neque tamen ea præſulis uel benignitas, uel diligentia quenquã hauriebat, aut cuiuſquam ignauiam & ſocordiam fouebat. Nam quos uiderat aut operi faciendo aptos, aut labori tolerando idoneos, ijs deſtinabat quid agerent, ubi labore atq; opera & ſudore uultus, quod dicitur, uictum ſibi pararent, alijs oneri ne eſſent: ne'ue ſibi interuerterẽt eleemoſynas & ſubſidia miſerorum, illorum præſertim qui ſibi quærendo uictui minimè pares eſſe poſſent. Quare mirum dictu, quàm di

uina

uina benignitas tum eius pijs conatibus faueret, tum eorum facultates lætis prouentibus augeret, omniaq; benefacientibus bene ac fœliciter euenire permitteret. Eſt enim id etiam benignitatis diuinæ gratuitum ac ſpeciale donum, ut non ſolum in alio ſæculo præmia reddat digna ſe diligentibus, uerùm in hoc etiam aperiat manũ ſuá, cumuletque occulto ſæpe, ſed inexhauſto fœnore, ea quę quis ipſius nomine proximum impertierit. ut non alibi magis centuplum illud toties nobis promiſſum, quàm in hoc ſæculo quotidie, ipſius nomine benefacientes pluribus, ſed non intellectis modis experiantur. Quòd ſi quid aliquando ſecus accidere apparet, id fit ex diuino conſilio: ne uidelicet quod eſt gratuitæ beneficentiæ ac liberalitatis, idipſum quiſpiam ineptè coniectans, ſuis tribuat operibus, reddaturque ob id uel ſecurior de diuina benignitate, uel negligentior. Atque hinc fortaſſe eſt illa in ſacris literis uox Domini, negantis ſe-

ſe cuiquam honorem ſuum eſſe daturum. Vult enim Deus, omnia ipſius uoluntatem facientibus ab ſe expectari: ſed non tãquam ex nomine aliquo, ſed (quod ſæpius dicendum eſt) ex ipſius gratuita beneficentia, qui nemini quicquam debet: quin potius omnia ab omnibus illi debentur, qui nos fecit, qui paſcit, nutrit, tuetur, ſuſtinet, denique nos ad cœleſtis regni participationem uocat, atque adeò expectat. Sed eò redeat, unde digreſſa eſt, oratio. Hæc porrò, quæ paulo antè diximus, tantum Diuo Nicolao conciliabant apud omnes authoritatis, ut nemo eſſet tam difficilis, tam durus, tam barbarus, neque ulla res tanta, quam non omnes ad eum deferrent, aut in qua nõn illo arbitro & diſceptatore uterentur. Atque ita ſanè uſu euénit, ut magnas lites diremerit, magna diſsidia ſuſtulerit, magnas controuerſias turbasq́ue ſopiuerit ac ſedarit. Atque utinam, Ciues, ij qui litigijs & tumultibus complent omnia, talium Præſulum

ac

ac Pontificum iudicijs ſeſe ſubmitterent. Quanto haberemus minus contentionum, aut rixarum? Parua queror: utinam inquam ſic Reges ac Principes, quorum feralibus diſsidijs ob paululum telluris, quo neque indigent ipſi, & id pòſt paulo relicturi ſunt hæredi aut nullo, aut non ita digno (qua ſe nullam maiorem inſaniam uidiſſe teſtatur Solomon) ſic orbis colliditur, ut omnia ruinam minari, omnia deniq; ad exitium ſpectare uideantur. Vtinam iterum ac ſæpius Principes ita ſeſe Pontificum iudicijs ſubijcerent, quemadmodũ ferro & armis diſcindũt omnia, conſcindunt ac lacerant tunicam CHRISTI inconſutilem: quam ille nullam aliam ob rem ſic undique uoluit eſſe contextam, niſi ut nunquam diſcinderetur: profectò res Chriſtiana on adeò laboraret, non in eo eſſet ſita diſcrimine, in quod coniectam uidemus: non ſic immineret ceruicibus noſtris immanis illa & teterrima Turcarum bellua: non omnia poſtremò adſu

premum

premum ſpectarét excidium, quod nobis ipſi manibus noſtris paramus ac ſtruimus. Quod profectò ita futurum confidendum eſſet, ac indubiè ſperandũ, ſi & Principes minus affectus ſuos audirent: & ipſi Antiſtites ac proceres Eccleſiæ, quos Deus ſal terræ eſſe uoluit, uitam ſuam ad Nicolai uitam componerent: noſque tales eſſemus, ut eos habere Principes ac terrarum rectores mereremur, qui non ſua, ſed illum ubi ſit quærerent: & inuento, ab eo diſcerent Deum amare, illi fidere, ab eo pendere, non eum labijs aut ceremonijs tantum honorare, ſed animo ac méte uenerari: non uerbis, uultu, geſtu, habitu, rebus extrarijs, ſed pio mentis affectu, & charitatis operibus colere: qui uerus eſt cultus, imò extra quem alius cultus non eſt, ſed error, ſed ſeductio, ſed impietas: tum amare proximum, ſeipſum deſpicere: animum colere, corpus negligere: affectus rationi ſubijcere, nihil rebus humanis fidere: calcare terrena, optare cœleſtia: credere quæ uidemus

871

uidemus cuncta, quę audimus, quæ ſenſibus percipimus, eſſe falſa, ficta, lubrica, imaginaria: illa uerò ſolida, uera, ſtabilia, æterna, quæ Dominus uerè ſe diligentibus præparauit. Id quod ſine controuerſia fecit Nicolaus, qui rei diuinæ præfectus ac procurator, nihil aliud aſsiduè cogitabat niſi diem illum, quo magnus ille Paterfamiliâs peregrè rediens, ſedensque in poteſtate & ſapientia, ab ſe repoſceret adminiſtrati muneris ad ultimum quadrantem rationem. Itaque ad eam cogitationem inductionemque animi omnes actiones, omnia dicta, facta, cōſilia referens, id eſt aſſecutus, ut audire meruerit à Domino: Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituā: intra in gaudiū Domini tui. tum adeptus ſit ſummū illud atque immortale bonū, quod illi quorum ſapiētiam tantopere admirata eſt antiquitas, tam anxiè ab ſe quæſitum, nunquam inuenire potuerunt. Cuius quidē immortalitatis ſignum uel præ-

cipuũ fuere miracula, quæ is paſsim ac multa edidit: quę, ne longior ſim, (quãdo multo plura dixi, quàm ab initio propoſueram) narrare in præſentia ſuperſedebo. Illud dixiſſe ſit ſatis, illũ ægrotis incolumitatem, mortuis uitam, captiuis libertatẽ, naufragis portũ, periclitantibus ſalutem impetraſſe. Quotus enim quiſq; fruſtra ad diui Nicolai auxilium opemq; confugit? quis in rebus anguſtis opem ab eo implorans, deſtitutus eſt? cui præſidio non affuit? Oſtendunt hoc in templis ſimulacra ſoluentium uota, oſtendunt effigies ac tabellæ penſiles, quæ omnibus Diui Nicolai ſignis, omnib. imaginibus, omnibus templis uiſuntur. Quo magis admiranda eſt quorundã ſententia, qui diuorum auxilium implorandũ eſſe negent: quũ illud ſanè inter ſanos conſtet, quicquid beneficij, quicquid opis per Dei ſanctos accepimus, id totũ ab ipſo Deo bonorum omnium datore, tanquam radios è ſole, aut riuulos è fonte diffundi atque emanare. Ita enim uiſum eſt diui

næ

næ illius ſapiĕtiæ, qui ſic uoluit munerari ſuos,ut fermè pares ſibi eos faceret in edendis miraculis,beneficijsq; cõferĕdis. Vnde eſt illud Ioan. euangeliſtę, Dedit eis poteſtatĕ filios Dei fieri:utique facultatĕ fruendę cœleſtis hæredi tatis,beneficiaq; in alios uel ex priuile gio cõferendi,uel certè à Patre cœleſti illis impetrandi. Vnde dictũ eſt ab ipſo redemptore CHRISTO, Etiã maiora his faciĕt. Quod quidĕ expreſsius ex his ipſius Domini uerbis colligit: Quic quid petieritis à patre in nomine meo, dabitur uobis. Quãobrĕ, Ciues optimi,quoniã in hoc uitæ ſalo ſic undis ia ctamur,ſic urgemur tĕpeſtatibus,ut omnia nobis exitiũ minĕtur,omnia naufragiũ,omnia mortĕ intentent,cõmuni bus uotis diui huius imploremus auxiliũ,atq; adeò illius charitatĕ, cæteraq; pietatis opera pro uirili conemur exprimere, aut certè imitari:ut cuius uirtutis ęmulatores fuerimus, eius quoque auxilij,atq; adeò gloriæ participes fieri aliquãdo mereamur.

Dixi.

ANDREAE MATTHÆO Aquiuiuo Illuſtriſsimi Ducis Adriæ Filio, Ioan. Iuſtinianus S. P. D.

Cupis, Illuſtriſsime Andrea Matthae, ut egregium illud Maximiliani Auſtriæ principis, ac Bohemiæ regis, adoleſcentis incliti, coæui tui factum, quo ille nuper apud Hiſpanos, ingenti Dei munere, nec minori animi robore, ſeſe ab imminenti uitæ periculo eripuit, mandetur literarum monumentis: neque id immeritò cupis. Nam & res ipſa per ſe digna eſt, quæ ad exemplum in literas mittatur: & ille is eſt, quem omnes & admirentur, & ament meritò: & tu is, cui omnes & honeſta cupienti, & iuſta roganti, meritiſsimò inſeruire & debeāt, & uelint. Quæ quidem uoluntas licet

omnibus ferè, qui te uel de facie noue-runt, communis propè ſit: tamen id oneris meis potiſsimum humeris uidetur incumbere, qui quum ab excellentiſsimis iuris conſ. M. Mantua, & Matthæo Gribaldo, tui cupidiſsimis, ſim ad hæc humaniora ſtudia ſi non datus, certè monſtratus tibi adiutor: hoc totis uiribus conari debeam, ut id faciam, cuius te potiſsimum eſſe ſtudioſum intelligam: dum id ſit eiuſmodi, ut iſti uirtuti ac facultati, ad quam niteris, ac magnis paſsibus ire contendis, uel dicendo aliquid conferat, uel etiam ſcribẽdo, & commentando. Et ſanè cùm pietati tuæ conueniens, tum bonis omnibus fauorabile ſcribendi argumentum à te nobis obiectum eſt. nam & pium eſt in primis, eius te principis incolumitati & gloriæ fauere, qui tuo principi ſit ita tũ

conſanguinitatis uinculo, tum affinitatis etiam coniunctus, ut nihil poſsit eſſe coniunctius: & fauorabile idipſum eſt, noſſe magno aliquo periculo defunctũ eum, quem & ipſe uehementiſsimè diligas, & omnes boni ob ſingularem uirtutem, probitatem, reliquaq; uel animi uel corporis uel fortunæ bona, unicè admirentur: tum audire illos; qui huic exitium pararent, capitiq́ illius dolos necterent, ipſos immanes ac ſæuos homines, ſcelerati atque impij facinoris pœnas dediſſe, ſuorumq́ ruina corporum illius incendium, cui rogum ſtruxerãt, ac tantum non flammam faceſq́ ſubdiderant, reſtinxiſſe. Verùm quemadmodum hæc ſunt grata & iucunda futura legentibus: ſic optarim, ut ea nobis uel ingenij uis eſſet, uel orationis copia, ut quæ te authore ſcribẽda ſuſcepimus,

ea

ea pro rei perſonæq́ dignitate exprimere ac repræſentare poſſemus. Verùm quando neque roganti tibi quicquã denegare, neque efficere quod rogares exactè poſſum: malo me multis parum eloquentem, quàm tibi uni parum beneuolum atque obſequentem uideri. Porrò quam rem uerbis ornare mihi non datur, eam utcunque delineabo, ueluti carbone notatum monochroma duxiſſe contentus. Erit hoc alijs fœlicioribus ingenijs, ac tui ſimilibus, ueluti quidam cõmentarius: unde materiam nacti, ſplendidioribus uerbis atque ſententijs rem magno principe & excellente dignam illuſtrare facilè poßint. Vale, & hoc noſtrũ natalitiũ xeniolum boni conſule. Patauij XV. Cal. Ian.

M. D. L.

petentẽ iam nocte, ſolicitus (ut qui ſibi à feris uehementer timeret) circũſpectabat, ſi quis ſibi locus daretur, quò ſe in tutum reciperet. Itaq; procul conſpecta paſtoris caſula, citato equo ad eam peruenit: rogatoque paſtore, ut ſibi apud eum diuerſari ea nocte liceret: is omnia benignè pollicitus, deſcendere equo iubet, ac tugurium ingredi. Erant porrò domi apud paſtorem ſex numero: utique præter illum, filius annos natus circiter xx. tum opilio bene robuſtus, & ad quoduis facinus aggrediendum idoneus: præterea uxor, cum paruula filiola, & nuru, quæ paulo antè noua nupta in eam familiam cõceſſerat. Princeps, ubi ad terram equo deſiluiſſet, eumque tradidiſſet opilioni curandum, caſam ingreditur: ac dũ tenuis cœnula, fortè ex hœdo uel agno, ſibi paratur, ad ignem aſsidet, nihil quicquam ſuſpicans mali. Interea, quũ ij qui domi erant, Maximilianum minimè noſſent: neque ipſe, quis nam eſſet, cuiquam aperuiſſet: illi tamen eum, quẽ

& eleganter amictum, & fortaſſe annulis ac gemmis ornatum, & egregia cum primis indole conſpicuum uiderent, rati, quod res erat, eum eſſe magnum omnino aliquem, atque opulentum uirum, opimæ inhiantes prædæ, fœda, teterrimaque de illo perdendo conſilia ineunt. Itaque cœnati, cubile, in peranguſto cubiculo, quod quidem hoſtiolo uetuſtate putri, & cardinibus diluxatis, ac malè coherentibus ægrè claudebatur, ei conſternunt. Dumque ea parantur, ſponſa, ſiue quòd huiuſce conſilij ab initio particeps fuiſſet, factíque cōſcia, cuius poſtmodum eam pœnituiſſet: ſiue, id quod credibilius eſt, non adhibita conſilijs, tantum ex nutibus ipſorum & concurſationibus rem perſenſiſſet: tandem uel atrocitate rei commota, uel egregij iuuenis uicem miſerata, fidē ab eo ſtipulata, ne ſe proderet, illi perdita cōſilia detegit. Is, licet facilè potuiſſet, apertè faſſus quiſnam eſſet, illud periculū declinare: maluit tamē uirtuti propriç, quàm fidei paſtorum,

ſtorum, & eorum præſertim quos ſemel infidos atque impios expertus eſſet, ſeſe committere. Itaque magno animo & erecto ſtatuit ita facere, ut periculi aleam potius, quàm eorum perfidiam ſubiret. Quamobrem in cubiculum ſibi ad inſidias paratũ, ab hoſpite perductus, haud grauatè ſe recipit: ibique occluſo hoſtio, eoque, obiectu grauioris arcæ, bene oppilato: tum in manum ſumpto bombo æneo cum rotula ferrea, quem imbutum nitro, impactoque globulo plumbeo ad proſternendas feras, atque adeò in omnes caſus ſecũ attulerat, cœpit intrepidus obſeruare quô res caderet. Paſtor cũ illũ de uenatione ac uia feſſum uidiſſet, ubi ſomno pſſum dormire credidit, ſuſpẽſo gradu ad hoſtiũ accedit: ac manu prętẽtat, nihil ratus, fore ut id clauſum interius offenderet. quod ubi pręter ſpẽ illi accidiſſet, petit à Maximiliano, ut ſibi hoſtium aperiat: eſſe cur uelit neſcio quid ſtraguli ex arca pmere. Is uerò cũ omnia pſenſiſſet, ut qui nihil dormiret:

Apage te(inquit)cum tua iſta tam importuna diligentia. ego enim iam in ſomnum compoſitus, nihil eſt cur tibi hoſtium recludá. Tum ille primùm indignari, clamare, quiritari, ſe perditum ac proditum prohiberi rebus ſuis. deinde ad arma concurrere, uim apertam parare: poſtremò palàm cædem quoq; minitari, niſi domus ſua tota ſibi patêret, ac ille ſeſe ipſi protinus dederet. Et iam paſtores cœperant hoſtium amoliri, alius autem per feneſtellam cubiculi eò tentare irrumpere: eoq́; obnixius rem cœptam perficere conabantur, quod iam ſua conſilia detecta eſſe facilè intelligebant. At uerò Maximilianus, quum rem iniquiſsimoloco deductam uideret, fortiter audendum ratus, intentatum ad fores bombum diſplodit: quo glandis ictu hoſtium traijcit, paſtorem proſternit. nec mora, dimota arca, patefactoq́; hoſtio foràs erumpit: paſtoris filium obtruncat, opilionem enſe ſtricto perſequitur, inq́ue fugam uertit. Neque tamen protinus omni

omni periculo defungitur: nam & uo ciferationibus uxoris,&tumultu inſueto exciti,qui circũ aderãt alij paſtores, raptis undiq; telis cõcurrunt:domũ ipſã armati circũſiſtunt:iuuenẽ innoxiũ ad cędẽ & ſupplicia depoſcũt.Ille autẽ, dũ primo illo inſano ruſticorũ furore ſibi caueret,nihil pręterea territus,ubi iã illuceſcente aurorą, magnã ruſticanorũ hominũ turbã illò cõfluxiſſe uidet: audacter, quis nã ipſus eſſet, aperit:atq; intrepidus, authoritate illa, quæ ſe digna erat,Hiſpaniarũ ſeſe pręſidẽ ac moderatorẽ eſſe oſtendit:extremũ omnibus ſuppliciũ minatus,ni ſe omnes totis uiribus ſeruatũ uellent. Si ſibi parũ fidei habendũ putarẽt,à præſenti cęde abſiſterent: ſeſe cognitioni magiſtratus,animaduerſioniq; reſeruarent.quod ſi id facere negligerẽt,id nõ ſibi modò fraudi, uerùm etiã ipſis excidio atq; internecioni futurũ. Illi tãetſi & hęroica præſtantiſsimi iuuenis indole & conſtanti oratione permoti,facilè crederent illum ipſum eſſe, quem præ

ſe ferret: à cæde quidem abſtinent: cæterùm, ne ab ingenio diſcederent, eum comprehenſum, manibus poſt terga re uinciunt. itaque colligatum atque obſtrictum, ſummo manè ad uicini oppidi præfectum perducunt. Iam eôdem præuenerant aliquot ex regijs ſatellitibus, eum quæritantes: quem quum ita uinctum, atque indignißimis acceptum modis uiderent, parum abfuit quin in turbam illam paſtorum incon ditam ac tumultuantem irruerent: ſed ab ipſo admoniti, ut à ui & armis temperarent, ægrè abſiſtunt incœpto. Tum uerò horum àduentu re omni, ut erat, detecta, qui tanti ſceleris fuerant conſcij, indignißimi facti dignißimas pœnas dederunt. Opilio ad extremum ſupplicium pertractus: ſcelerata domus, tam impij facinoris particeps, flammis conſumpta: puella, quæ indicium fecerat, multis ac magnis muneribus affecta, apud ipſum Principem ac ſuos in magna dignatione eſt habita.

Hæc

Hæc ſunt Andrea Mathæe, quę mihi de Sereniſs. Regis Maximiliani præclaro facinore dicenda occurrebant. quæ licet ab alijs aliter narrari accepimus: ea tamen ſunt eiuſmodi omnia, ut rem ita actam tranſactam eſſe facilè oſtendant: ut iam nõ de facti fide liceat cuiquam dubitare, ſed de his quæ ſunt ad cauſam appendices, & quaſi parerga. nos uerò, cùm ipſa credibiliora ſecuti ſumus, tum in primis fidem & authoritatem narrantium: quæ quidem nõ ob id tantũ in literas miſimus, ut tibi (cuius cauſa omnia cupio) gratificaremur: ſed neque ut eum Principem, quem omnes uiri docti & probi, ob excellentem uirtutem, nec minorem ſpem de illo conceptam, certatim colunt & obſeruant, tam tenui munuſculo mihi demererer: (tametſi & is ſępe mola ſalſa litauit, qui hecatombe non fecit) ſed, quum in his quæ ad facultatem oratoriam pertinent, Progymnaſmatis te exerceamus: habeas autem & alias id genus à nobis præexercitationes, easque

nihil aliud foret, quàm ſi quis trabeam, aut latum clauum cogitatione præſumens, amuleta pueritiæ Principis, crepundiaque negligeret. Sed nos nõ tam perfectam uirtutem hoc facto ſpectauimus, quàm ſuſpeximus indolem. Dent ei modò Superi, quod optamus, uitam diuturnam, animum Chriſtiano Principe dignum, & rerum ſucceſſus eius animo ac uirtuti pares: cæterà, non deerunt, qui illius præclara geſta dignis literarum monumentis poſteritati commendent.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.LE

BASILEAE, EX OFFICINA
[redacted], *Anno Salutis hu-
manæ* 1554. *Menſe
Auguſto.*